



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Cursus Theologico-Moralis

Ad usum Tyronum elucubratus, Et in Quotidianis Prælectionibus

Quoad ea, quæ Moralis Theologia disputat de Legibus, de Præceptis
Decalogi, de Restitutione, ac de Contractibus

Viva, Domenico

Patavii, 1723

Quæstio VIII. De Dispensatione legis.

urn:nbn:de:hbz:466:1-40673

amittit; quia non est data facultas simpliciter, sed data est illi facultas, ut ea utatur, si libuerit. Hac Azor., adversus quem bene objicit Sal., concedi universim privilegium, ut eo utatur privilegiatus, si voluerit; unde nunquam per non usum, etiamsi voluntarium, videtur privilegium amitti, sed solum per usum contrarium.

VI. Ideo dicendum verius ex Sal. disp. 17. num. 63. tunc privilegium amitti per non usum, quando oblata occasione, & potens commode eo uti, privilegiarius non vult eo uti per decennium; tunc enim veluti renunciat privilegio, & amittit illud per modum præscriptionis; Quod non solum est verum pro foro externo, sed probabiliter etiam pro interno; quia

præscriptio tollit jus etiam in conscientia, quamvis etiam sine culpa habentis jus habeatur præscriptio. Unde Suar. lib. 8. cap. 3. docet, quod habens privilegium, verbi gratia, comedendi lactinia diebus prohibitis, & nolens eo uti per decennium, probabiliter etiam in foro conscientie privilegium amittat, quamvis ob devotionem noluerit eo uti. Oppositum tamen Pal. punct. 18. disp. 4. putat esse probabile; quia in tali casu non habetur vera præscriptio; sed hæc solum habetur, quando privilegium est in gravamen aliorum, (ut est privilegium Nundinarum) quod certe per non usum decem annorum amittitur. Sed de his fusius agitur cum de Privilegiis.

Q U Æ S T I O VIII.

De Dispensatione Legis.

Precipuum in re morali quæstionem aggredimur; ex hac enim decisio plurium difficultatum in variis materiis passim contingentibus dependet. Primo itaque examinabimus, Quid sit, & in quamnam legem cadere possit Dispensatio? Secundo, Quinam possit dispensare in lege humana? Tertio, Circa quos exerceri possit Dispensatio? Quarto, De causa ad dispensandum requisita. Quinto, De dispensationis nullitate. Sexto, Quibus modis cesset dispensatio? Demum, Quomodo dispensatio, & potestas dispensandi interpretanda sit? Et num semper sit invalida dispensatio, si dubitetur de ejus valore?

ARTICULUS I.

Quid sit Dispensatio, & an cadere possit in legem Naturalem, & Divinam?

I. Dispensatio est juris relaxatio; atque adeo differt a legis Interpretatione, Abrogatione, Derogatione, Irritatione; necnon ab Absolutione, a Licentia, & a Privilegio.

II. Dispensatio legis in quo differat a dispensatione in voto, & a relaxatione juramenti?

III. Nequit Deus in lege naturali dispensare in iis circumstantiis, in quibus Lex natura obligat. Potest aliquando mutare materiam legis naturalis, mutando circumstantias, sub quibus ea obligat, & sic solum indirecte dispensat.

IV. Pontifex indirecte dispensat in lege naturali, puta in voto, in jura-

T 2 men-

mento, & in iis omnibus, in quibus expediens fuit recta gubernationi hanc potestatem a Deo illi committi.

V. In quibusnam casibus potest Pontifex in iure Divino positivo dispensare?

VI. Num possit Pontifex dispensare, ut in una tantum specie Sacrificium offeratur?

I. **Q**Uæritur primo; Quomodo definiatur Dispensatio legis?

Respondeo, communiter apud Sanchez, & Pal. defini, quod sit *Juris relaxatio*, seu exemptio alicujus a legis obligatione; Ex quo sequitur differre dispensationem primo ab Interpretatione legis; tum quia interpretari, quod lex in aliquo casu non obliget, est declarare, quod lex non obliget, non vero subditum eximere ab obligatione; unde interpretatio non est actus jurisdictionis exercendus a Superiore, sed actus doctrinæ, qui a Doctoribus præstatur: Tum etiam quia sæpe Superior dispensat in casu, in quo certum est te a lege obligari; ut quando dispensat in esu lacticianorum, & in impedimentis matrimonii ob subsidium pecuniarum datum ad pias causas. Secundo differt a legis Abrogatione, & Derogatione, quia abrogatio legis est cessatio totius legis relate ad omnes, & derogatio est cessatio vel partis legis, vel totius legis relate ad partem Communitatis, vel relate ad aliquod tempus; Dispensatio vero est exemptio alicujus ab obligatione. Tertio differt ab Irritatione, quia irritare legem, est legem cassare, impediendo, ne robur obligandi assequatur, ubi e contra dispensare est legem cassare, postquam vim obligandi adeptam est. Quarto differt ab Absolutione a peccatis, vel a censuris; tum quia potest aliquis secummet dispensare, non tamen semet absolvere; tum etiam quia dispensatio

est contra jus, seu vulnus legis, absolutio vero est præter jus; non enim vulneratur Jus absolutione, sed potius impletur, quia jus ipsum jubet, ut recte dispositus absolvatur; at jus non jubet semper dispensationem facere: Hinc dispensatio strictè est interpretanda, absolutio late, ut notat Suarez lib. 6. cap. 10. Quinto differt a Licentia; quia dispensatio, ut diximus, est contra legem, licentia vero est potius pro ipsa lege; quia lex ipsa, quæ prohibet, verbi gratia, ne quis sine licentia a Monasterio egrediatur, non prohibet absolute egressum, sed prohibet egressum sine licentia, ita ut per licentiam lex non vulneretur, sed potius legi fiat satis: Quare cum Prælati dat subdito licentiam egrediendi, non eximit illum directe ab obligatione legis, sicut quando dispensat; sed indirectè illum eximit per hoc, quod tollit materiam legis ex apposita licentia, & sic lex non obligat. Hinc est, quod quando Superior dat licentiam subdito expendendi, non dicitur dispensare in voto paupertatis; Solus enim Papa in eo voto dispensare potest, ex cap. *Cum ad Monasterium*, *De statu Regularium*, sed solum cessat obligatio non expendendi ex apposita licentia, ad quod voto tenebatur Religiosus. Sexto differt a Privilegio, quia semper dispensatio est contra jus, privilegium vero sæpe est præter jus, ut privilegium lucrandi indulgentias, absolvendi a reservatis, dispensandi in impedimentis matrimonii, in voto, &c.; Quando tamen privilegium est contrarium juri, ut privilegium comedendi lacticia diebus prohibitis, tunc aliquo pacto confunditur cum dispensatione, & eodem modo causam requirit; Differt tamen, quia hujusmodi privilegium est a Superiore, qui legem condidit, adversus quam est privilegium, & consistit semper in facultate permanenti operandi contra le-

legem: At dispensatio est pro unico actu determinato, vel ab inferiore interpretante mentem Superioris.

II. Denique differt dispensatio legis a dispensatione voti, & juramenti; tum quia dispensatio in voto est potius interpretatio Divinae voluntatis; unde Prælatus dispensat in voto nomine Dei, cujus vices gerit, & cujus voluntatem interpretatur: Dispensatio vero legis est vera exemptio a jure, quam concedit Legislator nomine suo; Tum etiam quia in voto potest fieri commutatio etiam propria auctoritate in aliquid melius, & secundum probabilem opinionem, etiam in evidenter æquale; At in lege non potest dari commutatio; nam lex pendet a voluntate Legislatoris, votum vero ortum habet a voluntate votentis, & respicit honorem Dei; unde si per materiam meliorem magis Deus honoratur, poterit votum ex voluntate votentis commutari in melius.

Notandum tamen, quod juramentum in damnium tertii sæpe non potest relaxari a Prælato, ut diximus suo loco; quia Prælatus gerit vices Dei, non hominis, cujus favorem respicit tale juramentum; ut si jures dotare puellam: Hæc tamen potest juri suo cedere, & sic eris liber ab obligatione juramenti.

III. Quæritur secundo, An possit dispensatio cadere in legem naturalem, ortam scilicet ex convenientia cum natura rationali?

Respondeo, annotando legem naturalem aliam esse Affirmativam, ut colendi, & amandi Deum, defendendi proximum, ac subveniendi illi in necessitatibus; Aliam negativam, verbi gratia, non furandi, non adulterandi, non occidendi innocentem. Rursus alia est simpliciter, & in omnibus circumstantiis prohibitiva, ut lex non colendi Deos falsos, non peccandi contra naturam; Alia est pro-

hibitiva alicujus actus sub determinatis circumstantiis, verbi gratia, non rapiendi rem alienam, sed invito Domino; nam Domino consentiente non est prohibitum; Sic lex non occidendi innocentem non obligat consentiente, aut præcipiente Deo, qui est Dominus vitæ, ac necis; lex non accedendi ad Bertam obligat tantum, quoties Berta non est tua uxor, & tu non habes dominium in corpus illius. His annotatis

Sanch. lib. 8. de matrim. disp. 6. cum aliis defendit, posse Deum dispensare in lege naturali; tum quia quilibet Legislator potest in legibus suis dispensare; tum quia id aliquando expedit gubernationi communi; tum demum quia sæpe videtur Deus dispensasse; nam Genes. 22. dispensavit cum Abraham in occisione filii, Osee 2. cum Osee in copula fornicaria, Exod. 12. cum filiis Israel in expoliatione Egyptiorum; Dispensavit etiam in pluralitate uxorum; in matrimonio inter fratres, & sorores; filii enim Adæ duxerunt suas sorores; commisit potestatem Pontifici dispensandi in votis, in juramentis, in residentia Ecclesiæ, in sanctificatione festorum, quorum obligatio provenit ex jure naturæ.

Communissime tamen docent, in lege naturali non posse Deum dispensare in iis circumstantiis, in quibus lex naturæ obligat: Verbi gratia, non potest dispensare in lege de non odio habendo Deum, vel de non colendo falsos Deos, de non peccando contra naturam, de non mentiendo, &c. quæ leges in omnibus circumstantiis obligant: Nec potest dispensare in lege de non furando, de non occidendo in iis circumstantiis, in quibus istæ leges obligant, ut explicavimus. Et ratio a priori est, quia lex naturalis præcipit ea, quæ ex natura sua, & essentialiter sunt convenientia natu-
ræ

ra rationali, & prohibet, quæ essentialiter sunt dissona; quæ autem sunt essentialiter dissona, non possunt per voluntatem Divinam mutari, & non esse dissona; cum Deus non possit mutare essentias rerum: Si autem Deus dispensaret, verbi gratia, in lege de colendo falsos Deos, eo ipso non esset dissonus naturæ rationali talis cultus, qui essentialiter est dissonus, sed esset licitus, atque adeo naturæ rationali conveniens; ergo cum id effici non possit, sequitur, quod Deus in nulla lege naturali possit dispensare sub iis circumstantiis, sub quibus lex naturalis obligat.

Ad rationes in contrarium patet responsio; Ideo enim potest Legislator quilibet dispensare in sua lege positiva, & non potest Deus dispensare in sua lege naturali, quia lex naturalis est immutabilis, cum sit de rebus natura sua, & essentialiter conformibus, aut difformibus naturæ rationali. Nunquam autem dispensavit Deus in lege naturali sub iis circumstantiis, sub quibus ea obligat: Sicut enim quando dominus libri consentit, ut accipias librum suum, non dispensat in lege naturali de non furando, sed mutat circumstantiam, sub qua lex naturalis de non accipiendo librum alienum non obligat; tunc enim lex naturalis de non furando obligaret, quando liber alienus acciperetur invito domino: Ita pariter Deus non dispensavit cum filiis Israel in lege naturali de non furando, quando consentit, quod expoliarent Egyptios; nam quando accipitur res consentiente proprio Domino, qui est Deus, non habetur furtum: Sic non prohibetur lege naturali accedere ad Bertam, quando vel ratione matrimonii, vel aliunde habes dominium in corpus illius. Deus itaque dando Oseæ dominium in corpus mulieris, non dispensavit cum illo in lege naturali de

non fornicando; quamvis enim illi dixerit, *Accipe mulierem fornicariam*, non per hoc voluit, ut cum ea fornicaretur; nam fornicatio est accessus ad non suam; cum autem dederit Deus Oseæ dominium in corpus feminae, jam voluit, ut ad suam accederet; ergo noluit fornicationem. Idem dicas de dispensatione facta in polygamia, & in matrimonio inter fratres, & sorores, ut explicabimus in de matrimonio; in iis enim circumstantiis, in quibus ea permittit, aut voluit Deus, non erant contra legem naturæ. Præterea quando Deus, aut Pontifex dispensat in votis, aut iuramentis, non dispensat in lege naturali; quamvis enim lex naturalis obliget ex vi Religionis ad servandum votum acceptatum a Deo; sicut ex vi fidelitatis ad servandum promissum acceptatum ab homine: At sicut non obligat lex naturalis ad servandum promissum acceptatum, quando promissarius renunciat juri suo, & remittit debitum revocando acceptationem; ita Deus non dispensat in lege naturali, quando dispensat in voto, quia remittit debitum revocando acceptationem voti, sub qua circumstantia lex naturalis non obligat; Sic residentia in Ecclesia est de jure naturali, quoties supremus Pastor non subit ipse onus providendi Ecclesiæ necessitati, & non credit obligationi a te contractæ: Sicut solutio pretii facta ob emptiorem rei est de jure naturali, quoties venditor non credit juri suo; Quod si cedat, non ideo dicitur dispensare in lege naturali, sed mutare materiam legis naturalis, & ponere circumstantias, sub quibus lex naturalis non obligat. Demum laborare die festo non est contra legem naturalem, quando id fit ad obediendum Deo præcipienti; nunquam enim magis dies sanctificatur, quam cum Deo obedimus, immo sanctificatur etiam dies, si la-
bo-

boretur ad satisfaciendum necessitati ex permissione Dei, aut Pontificis. Quare in omnibus casibus adductis dari potest tantum dispensatio indirecta, tollendo obligationem per mutationem materiæ, non vero dispensatio directa; Sicut dispensare potest directe quivis Legislatores in sua lege positiva, verbi gratia, Papa in lege jejunii, Deus in lege communionis.

IV. Rogabis, in quibusnam legibus naturalibus possit Legislatores humanus dispensare indirecte eo modo, quo diximus posse Pontificem dispensare in voto, in lege naturali sanctificandi festa?

Respondeo, in iis casibus id posse, in quibus expediens fuit rectæ gubernationi hanc potestatem a Deo committi, & delegari Legislatores humano, videlicet in voto, juramento, sanctificatione festorum, & in iis rebus, in quibus Respublica habet potestatem dominativam; nam si tali potestate utatur, cessat obligatio legis naturalis; unde potest Superior, verbi gratia, propter bonum publicum auferre res unius, & alteri dare; Contra tamen, quia non fuit expediens, ut Deus homini daret potestatem dominativam in corpora aliorum, ideo non potest homo indirecte dispensare in lege de non fornicando, sicut dispensavit Deus cum Osea; nec potest dispensare indirecte, sicut potest Deus in lege prohibente Polygamiam, & dissolutionem matrimonii consummati; Nec in impedimentis jure naturæ dirimentibus, Erroris, Impotentia, Ligaminis, & Consanguinitatis in primo gradu; Convenientius enim fuit, Deum hanc potestatem non delegasse Pontifici, ne illa frequentius, quam par esset, uteretur, etiam si in aliquo raro casu forte expediret illam habere, ut notat Sanch. loc. cit., Pal. numer. 7., & Suar. lib. 2. cap. 14. numer. 23.

V. Quæritur tertio; An possit dari dispensatio in jure Divino positivo, & in quo?

Respondeo, certum esse, quod Deus possit in eo dispensare, verbi gratia, in lege Baptismi, Communionis, &c.; si enim potest Legislatores humanus in lege sua dispensare, a fortiori Deus supremus Dominus; Hanc autem potestatem non commisisse Principibus secularibus est indubitatum, cum versetur circa spiritualia, & supernaturalia. An autem eam commiserit Pontifici? Disputant Doctores, Aliqui cum Panormit., & aliis apud Sal. disp. 24. sect. 5., & Merol. disp. 4. cap. 6. num. 187. docent, posse Pontificem in omni jure Divino positivo dispensare (exceptis articulis fidei) ex urgenti causa; Nam dispensare potest, ut simplex Sacerdos Confirmationem ministret, cum ex jure Divino Episcopus sit minister hujus Sacramenti; Dispensat etiam in residentia Episcoporum, quæ est de jure Divino; dispensat in voto solemnium, quod est ex institutione Divina; Etiam dispensat in illa Divina lege, *Quos Deus conjunxit, homo non separet*, dispensando in matrimonio rato. Immo Felinus addit, posse Pontificem ex causa mutare formam baptismi, & creare Sacerdotem, dicendo tantum, *Sis Presbyter*; cum hoc videatur erui ex illis verbis Christi Domini, *Quodcumque ligaveris, &c.*, & spectare ad rectam Ecclesiæ gubernationem; cum non possint homines in necessitate petere immediate a Deo dispensationem, nec debeant ea carere. Sanch. autem lib. 8. de matrim. disp. 6. docet, posse Pontificem in eodumtaxat jure divino dispensare, in quo majus Dei obsequium videtur esse dispensationem concedere, quam jus Divinum integre servare, non vero in aliis materiis. Unde, verbi gratia, non potest dispensare, ut frater ducat sororem; Quod ex eo constat, quia

quia nunquam in hoc Ecclesia dispensavit; Neque in eo, quod matrimonium consummatum dissolvatur; aut in Polygamia, quamvis aliquando id expediret; Et ratio est, quia melius est integre leges istas servari, quam occurrere alicui raro casui, in quo expediret dispensare. Communissima tamen sententia docet cum D. Th. 2. 2. quaest. 88. art. 10., in nullo jure Divino posse Pontificem dispensare, nisi ubi specialiter constiterit ipsum Deum id concessisse. Ratio est, tum quia inferior non potest in lege Superioris dispensare, nisi ex ejus concessione; tum etiam quia non fuit talis potestas nec necessaria, nec expediens Ecclesiae; oportebat enim fundamenta Ecclesiae esse immobilia. Quare non potest Pontifex dispensare in lege sigilli Sacramentalis, etiam si Sacerdoti, vel Regno grave damnum imminet; Non potest dispensare, ut laicus in extrema necessitate moribundi sacramentaliter absolvat; ut baptismus conferatur aqua rosacea, si desit naturalis, &c.

Ad rationes in contrarium respondetur: Ex jure Divino minister Confirmationis ordinarius, ut loquuntur Concilia, est Episcopus, non extraordinarius; & ideo non dispensat in jure Divino Pontifex, quando ex urgente necessitate permittit, ut Sacerdos illam conferat. Circa residentiam Episcoporum docet Sotus esse de jure Divino naturali, & in ea posse tantum indirecte dispensare Pontificem, ut diximus quaestio superiore, mutando materiam, qua mutata cesset obligatio: Solemnitatem votorum negant communiter apud Pal. hic punct. 3. esse de jure Divino, ut constat ex Bulla *Ascendente Domino*, pro Societate Jesu expedita; nec est de jure Divino indissolubilitas matrimonii rari, sed tantum consummati; unde in hoc tantum dispensare non potest Pa-

pa, ut dicemus cum de Matrimonio. Potest Pontifex dispensare in votis, & relaxare juramenta, eo modo quo supra explicavimus, cedendo juri acquisito a Deo per auctoritatem, quam habet tanquam ejus Oeconomus, & dispensator. Communiter etiam docent, ex usu, & traditione Ecclesiae hanc auctoritatem esse illi concessam, ex verbis Christi Domini Matth. 19. *Quodcumque ligaveris super terram*, &c.

VI. Opponunt aliqui apud Sanch. lib. 8. disp. 6., aliquando Pontificem dispensasse, ne Sacrificium fieret in utraque specie in locis, ubi erat summa vini penuria; id enim concessisse Saxonibus Innoc. VIII. refert Volateranus.

Sed Suar. lib. 10. cap. 6., Vasq. de Euch. disp. 228., & alii negant id fecisse Pontificem, cum de tali facto non constet authentice; Et negant, id facere potuisse. Sicut non potest Pontifex dispensare in sigillo Sacramentali, in materia baptismi, & aliorum Sacramentorum. Addit Suar., probabile esse, quod possit Pontifex permittere propter grave, & commune bonum alicujus Provinciae, ut in una tantum specie Sacrificium offeratur; Quod tamen non faceret Pontifex dispensando in jure Divino, sed declarando doctrinaliter, jus Divinum non se extendere ad talem casum. Nam juxta hanc sententiam supponitur, quod de Jure Divino positivo sit tantum offerre tale Sacrificium Corporis, & Sanguinis Christi Domini & de jure naturali sit, quod offeratur integrum, & sub utraque specie significando clare separationem corporis a sanguine, atque adeo mortem Christi Domini; Potest autem Pontifex doctrinaliter declarare, quod praecipuum hoc naturale sacrificandi integrale non se extendat ad talem casum: Sicut praecipuum naturale restituendi de-

possi-

positum non se extendit ad casum, quo restituendus sit gladius Domino furioso; Notat tamen Suar., declarationem hanc solum a Pontifice fieri posse, quia est res gravissima, & factis dubia.

ARTICULUS II.

Quinam possit in lege humana dispensare?

- I. Potest Pontifex in legibus Apostolicis, & Concilii Oecumenici dispensare.
- II. Nequit Archiepiscopus dispensare in legibus Concilii Provincialis; Sed potest Episcopus dispensare in legibus Synodi Diocesanae, etiamsi a Pontifice confirmata sint confirmatione simplici, non tamen si essentiali.
- III. Nequit inferior in lege Superioris dispensare, nisi id illi saltem tacite permittatur.
- IV. Absolutio a censuris conceditur inferiori, nisi reservetur; Secus vero dispensatio. Pariter dispensat Episcopus in votis, si non reservetur; At non in legibus Pontificiis.
- V. Quando nam censeatur concessa Episcopo facultas dispensandi in lege Pontificia?
- VI. Si dubitetur, an possit hic, & nunc Episcopus dispensare in lege Pontificiis, probabiliter dispensare potest, etiamsi dubium sit negativum?

I. **C**ertum est, Legislatorem posse in sua lege dispensare, cum ab eius voluntate pendeat obligatio: Et eadem est ratio de successore in iurisdictione, qui reputatur eadem persona cum Legislatore; Et idem a fortiori dicendum de Superiore Legislatore. Hinc sequitur primo, Pontificem dispensare posse non solum in legibus Prælatorum sibi subditorum, sed etiam in legibus Concilii generalis;

Pars I.

quia est superior: Posse etiam dispensare in legibus aliorum Pontificum, quia est æqualis auctoritatis: Potest pariter in legibus Apostolicis humanis dispensare, ut in lege jejunii Quadragesimalis, in observatione diei Dominicæ, in bigamo non ordinando, &c., quia in iurisdictione Pontifex non est inferior Divo Petro, & aliis Apostolis.

II. Sequitur secundo, Episcopum dispensare posse in legibus Synodi Diocesanae; quia ab ipso met latæ sunt; Parochi enim sunt in ea Synodo consiliarii, non legislatores, ut communius docent contra Medin., & Rodriq. apud Merol. num. 257. Contra tamen non posse ne Archiepiscopos quidem dispensare in lege Concilii Provincialis; quia sunt eo inferiores. Addit Sanch. lib. 8. disp. 17., & Sal. disp. 20. sect. 4. contra Azor., Laym., Sylvest., Barbof., posse Episcopum in suis legibus dispensare, etiamsi juraverit se non dispensaturum; quia juramentum redderet illicitam, non invalidam dispensationem: Immo sicut potest cum aliis, ita potest secum Episcopus in iuramento dispensare, data sufficienti causa. Tunc solum Episcopus non potest in suis legibus dispensare, quando istæ confirmatae sunt a Pontifice, non quidem confirmatione simplici, & accidentali superaddita ad quendam splendorem, sed confirmatione essentiali, seu necessario requisita, ut lex obliget, juxta ea quæ diximus quæst. 6. art. 3. num. 2. cum de Abrogatione legis; tunc enim lex ista censeretur Pontificia, non Episcopalis. Nec potest Legislator in suis legibus dispensare, quando leges transeunt in contractum: V. G. si Princeps ferat legem, quod gaudeant immunitate a tributis, qui ad Civitatem venerint, vel in ea habitaverint, non poterit eos tali beneficio privare, quia tunc tenetur

V tur

tur Princeps lege naturali (in qua dispensare non potest) servare contractum a se initum .

III. Quæritur nunc primo , An inferior possit dispensare in legibus Superioris non sibi reservatis ?

Respondeo , Sot. , Victor. , & alios apud Sal. disp. 20. sect. 3. (quorum sententiam probabilem putat Bonac. quaest. 2. punct. 1. ,) docere , quod Inferior possit in quavis lege superioris dispensare , quoties superior expresse non ademit illi facultatem dispensandi . Ratio est , tum quia esset nimis molestum semper ad Superiorem recurrere ; tum etiam quia cum Superior non reservet sibi potestatem dispensandi , censetur illam concedere ; aliter frustra aliquando illam sibi expresse reservaret , si ex positione tantum legis esset reservata . Præterea in cap. *Nuper* , de *Sententia Excom.* dicitur , quod dum Pontifex non reservat sibi absolutionem excommunicationis , censetur inferioribus Prælati eam concedere ; ergo idem dicendum de dispensatione . Quod etiam accidit in votis , & juramentis , in quibus Episcopus dispensare potest , si Pontifex non sibi reservat dispensationem ; Idemque accidit in observatione festorum , & jejuniorum : Et ratio a priori videtur esse , quia *Episcopus potest in sua Ecclesia quicquid Papa pro toto Orbe , nisi a Pontifice prohibeatur* ; quia Episcopus est Pastor ordinarius , cui adæquate incumbit regimen suæ Ecclesiæ ; unde si non limitetur a Pontifice ejus jurisdictio , potest pro sua Diocesi quicquid Papa pro tota Ecclesia .

Sed communius docent , non posse inferiorem dispensare in legibus Superioris , nisi expresse , aut saltem tacite id sibi permittatur ; tum quia inferior non potest voluntatem , & dispositionem Superioris impedire , ipso non consentiente ; tum etiam quia in

cap. 1. *De Constitutionibus* , præcipitur Inferioribus , ut præcepta Superioris observent ; ergo a fortiori non possunt in iis dispensare , nisi expresse , aut tacite iis id concedatur ; tum demum quia in Clement. *Ne Romani* , *De Elect.* dicitur Inferior non posse tollere legem Superioris ; & statim subditur explicatio , videlicet abrogando , dispensando , &c. : Et de facto plures irregularitates , & inhabilitates inveniuntur in jure , in quibus Episcopi non possunt dispensare , quia non reperiuntur concessæ , quamvis non sint prohibita ; ut notat Pal. punct. 5.

IV. Ad rationes in contrarium respondetur , in pluribus casibus , in quibus expedit rectæ gubernationi , proprium esse , ut possint Inferiores dispensare in lege Superioris : In aliis vero casibus , in quibus id non conceditur , recurrendum est ad Superiorem .

Nec quia Superior non reservat sibi expresse facultatem dispensandi , ideo censetur illam concedere . Nam aliquando exprimit reservare sibi hanc facultatem , ne in generali concessione suæ facultatis intelligatur ea concessa , non quia tunc solum est reservata , quando exprimit , quod sibi eam reservat . Absolutio a censuris conceditur inferiori eo ipso , quod non reservatur , non tamen dispensatio ; tum quia hæc est contra jus , & vulnus legis ; absolutio vero non est contra jus , immo potius est juri conformis ; cum jus ipsum præcipiat , quod rite dispositus absolvatur ; tum etiam quia absolutio ad bonum animæ ordinatur , & ideo expedit facilius concedi ; unde non solum Episcopo , sed etiam Parocho , & cuivis Confessario conceditur , dum a Papa non reservatur , ut dicemus cum de Censuris . Quod attinet ad vota , & juramenta , diximus , dispensationem in votis esse di-

ver-

versam a dispensatione legis; hæc enim est exemptio ab obligatione legis; illa vero est solum remissio juris a Deo acquisiti per votum, sicut in humanis promissarius remittit juri acquisito per promissionem; Omnes autem Prælati possunt nomine Dei talem remissionem facere, nisi iis interdicitur; quia hoc expedit bono communi, eo quod frequentissime occasio occurrat: Et propter eandem frequentiam possunt Prælati inferiores ex tacita concessione Papæ dispensare in observatione festorum, & in jejniis. Demum ad rationem a priori respondetur, falsum esse axioma illud, quod Episcopus possit pro sua Diœcesi quicquid Papa pro toto Orbe. Nam Episcopus, ut notat Pal. num. 9., non potest instituere censuras, approbare Religiones, canonizare Sanctos, definire res fidei, concedere indulgentiam plenariam, dispensare in matrimonio rato, aut in professione Religiosa, vel committere Presbytero Sacramentum Confirmationis, aut Ordinis, saltem quoad minores, ex Merol., ut potest Papa. Quare potest Episcopus in ordine ad bonum regimen suæ Diœcesis, quicquid potest Papa, nisi a lege ejus jurisdictio Papæ limitetur; limitatur autem, quoties non conceditur illi facultas dispensandi in lege Papæ. Unde etiam fit, quod nec possint Episcopus, aut Archiepiscopus dispensare in Legibus Concilii Provincialis, quod est supra ipsum Archiepiscopum, ut habet Gloss. in cap. *A collatione, de Appellat. in 6.* Verum quidem est, quod leges latæ in Concilio Provinciali, si non sint reservatæ, possint ab Episcopo pro sua Diœcesi dispensari, sicut diximus, posse Episcopum dispensare in observatione festorum ex tacita concessione Papæ, quia frequenter occurrit occasio in iis dispensandi; idque fati constat ex usu. Potest tamen Episcopus dispensare in le-

gibus Synodi Diœcesanæ, quia non est inferior illa, ut communius docent contra Medin., & Rodriq. apud Merol. num. 257.

V. Quæritur secundo, In quibus casibus censetur concessa Episcopo facultas dispensandi in lege Pontificia; Et universim inferiori facultas dispensandi in lege superioris?

Respondeo, concedi primo, non solum si expresse dicatur in lege, quod possint in ea Inferiores dispensare, quod est evidens; sed etiam si dicatur absolute, quod possit in ea lege dispensari; hæc enim verba interpretanda sunt, itaut possint Inferiores in ea lege dispensare; tum quia aliter essent superflua, cum certum sit, Superiorem posse in ea dispensare; tum etiam quia potestas dispensandi ample est interpretanda, ut dicemus articulo ultimo: Secundo concedi præsumitur eam facultatem Inferioribus, quando res est levis; quia nimis onerosum est in minimis ad Superiorem recurrere: Et idem docet Pal., quando lex non obligat ad culpam mortalem, ut contingit in Religionibus; nam eo ipso, quod Legislator noluit gravem obligationem ponere, judicavit non esse rem tanti momenti, ut ipsi remaneret reservata dispensatio. Tertio, si crebro accidat necessitas dispensandi in aliqua lege; quia pariter esset nimis onerosum semper ad Superiorem recurrere, & contra suave regimen Ecclesiæ; Et ideo potest Episcopus in votis, in observatione festorum, & in jejniis dispensare. Quarto, quando ea est consuetudo; nam sicut alia possunt consuetudine præscribi, ita facultas dispensandi, & consuetudo sufficit ad dandam jurisdictionem, vel privilegium: Ac de facto Parochi ex consuetudine dispensant in jejuniorum, & festorum observatione; Et Episcopi in legibus Concilii Provincialis. Quinto, si gravis, & magna aliqua necessitas,

vel utilitas subito contingeret, ita ut facile, & commode non pateat aditus ad Superiorem, & sit periculum in mora; nam negare in hoc casu potestatem dispensandi Inferiori est contra charitatem, & suave regimen Ecclesie, & contra commune bonum. Ideo in impedimentis etiam matrimonii potest Episcopus urgente necessitate dispensare, ut communius docent cum Sanch. lib. 2. disp. 40., Sal. disp. 20. sect. 3., Vasq., Azor. contra Medin., & Cordub. apud Merol. disp. 6. num. 177. Immo ex Sal. loc. cit., Merol., & Sanch. lib. 4. Summæ cap. 40. contra Vasq. part. 2. disp. 178. ex Bonac., id potest Episcopus urgente necessitate, quando non possunt ii, cum quibus dispensandum est, propter inopiam, suis sumptibus petere a Pontifice dispensationem, quamvis posset Episcopus facile ministrare pro illis expensas; quia non videtur ad id obligatus.

VI. Dubitatur, an possit Episcopus dispensare in lege Pontificis, quando dubium est, an casus egeat dispensatione? Verbi gratia, si dubium sit, an impedimentum dirimens matrimonii, aut bigamia, indigeant dispensatione. Certum quidem videtur, quod si dubium sit positivum, & probabile sit, non opus esse dispensatione, possit Episcopus dispensare; immo quod possit subditus sine ulla dispensatione operari, prout libuerit; quia licitum est operari secundum opinionem probabilem, deposito practice dubio; quamvis fieri possit, ut opinio probabilis sit realiter falsa: Si tamen dubium sit negativum, censet Bonac. num. 18., petendam esse a Sede Apostolica dispensationem, ne te exponas periculo delinquendi contra legem, in qua non potest Episcopus dispensare; & quia ea videtur esse praxis. At Pal. num. 10. Sal. loc. cit., Sanch. lib. 4. Sum. cap. 40. num. 26.,

& Suar. probabilius putant, etiam in dubio negativo nulla opus esse dispensatione; quia in tali casu possidet libertas, nec debes censeris lege astrictus, quousque de lege tibi certo non constet moraliter: Adduntque, quod si requireretur dispensatio, posset ea dari ab Episcopo; tum quia non videtur Pontifici reservatus casus dubius, sed solum certus; tum etiam quia potestas dispensandi late interpretanda est; tum demum quia Episcopus potest dispensare in casibus frequentibus; frequentia autem sunt dubia dispensationis; & ideo monet S. V. *Dispensatio*, petendum ab Episcopo, ut ad cautelam dispense; nam si revera matrimonium, verbi gratia, contrahatur cum tali dubio, licite quidem contraheretur ratione opinionis istius probabilis, sed invalide sine tali dispensatione Episcopi, quoties revera opinio esset falsa. Quando tamen dubium est, an excuseris ab obligatione legis, verbi gratia, jejunii, ratione infirmitatis, certum videtur, quod indigeas dispensatione; quia lex est in possessione obligandi, & dubia est, non probabilis excusatio; An autem aliquando uti possis Episkeja, vide quæ diximus cum de Episkeja.

ARTICULUS III.

Circa quos possit Dispensatio exerceri?

- I. *Dispensatio, utpote actus jurisdictionis, cum subditis est exercenda.*
- II. *Pralatus dispensans universim cum subditis in aliqua lege, dispensat etiam secummet; etsi improprie secummet in sua lege dispense.*
- III. *Directe Pralatus in lege Superioris secummet dispensat, quin ad exercendum hunc actum jurisdictionis voluntaria requiratur distinctio personarum. Potest etiam secummet in quavis*

votis dispensare, sicut cum subditis.

IV. Num possit Pontifex directe sibi indulgentias largiri?

V. Nequit Prælatus inferior directe tollere a se irregularitatem, aut alias penas Ecclesiasticas per sententiam impositas; licet id possit cum subditis.

VI. Quid possit Superior loci cum forensibus, vagis, & peregrinis relate ad dispensationes?

VII. Quid pariter possit Metropolitanus cum Episcopis suffraganeis, & cum eorum subditis.

VIII. Num possit Episcopus cum Regularibus exemptis dispensare eo pacto, quo potest cum subditis suis.

I. **S**pecialiter queritur primo, An possit secummet Legislator dispensare? Secundo, An cum vagis, & forensibus? Tertio, An Episcopus cum Religiosis? Quarto, An Metropolitanus cum suffraganeis? Cum enim dispensatio sit actus jurisdictionis erga subditos exercendus, dubitatur de istis, an sufficientem habeant subjectionem requisitam ad dispensationem?

II. Queritur itaque primo, An possit Superior secummet dispensare in iis casibus, in quibus potest cum subditis suis?

Respondeo, apud Doctores certum esse, Prælatos uti posse iis licentiis, (quæ dicuntur improprie dispensationes) quas possunt dare subditis; aliter essent peioris conditionis, quam subditi; cum non possint facile superiorem adire. Certum est secundo, quod quando Prælati in universum dispensant cum subditis in aliqua lege, verbi gratia in jejuniis, possint tali dispensatione uti; quia hoc non est directe jurisdictionem in seipsum exercere, sed quasi indirecte, utendo dispensatione in universum concessa. Sic Pontifex lucratur indulgentias in universum concessas: Quamvis com mu-

nior Theologorum sententia doceat contra Henr., & Suar. de Indulg. disp. 52. sect. 1. num. 20. apud Sanch. lib. 8. disp. 3. num. 12., & Merol. num. 153., non posse sibi indulgentias directe concedere, eo quod concessio indulgentiarum sit actus jurisdictionis. Certum est tertio, Superiores relate ad proprias leges non nisi improprie secum dispensare, quia non obligantur sua lege directe, sed tantum jure naturali, supposita sua lege, ut supra diximus. Certum est quarto, posse Prælatos committere suis Confessariis, ut cum ipsis dispensent in omnibus, in quibus ipsi possunt cum subditis, tum ne deterioris conditionis sint, quam subditi, cum non possint facile summum Pontificem adire; tum quia Congregatio Concilii apud Pal. punct. 7. decrevit, facultatem datam Episcopis sect. 24. c. 6. absolvendi, & dispensandi cum sibi subditis posse cum ipsis Episcopis a Confessario ab illis electo exerceri.

III. Dubium itaque est, An possit directe Prælatus dispensare secummet in votis, in irregularitatibus, & in aliis legibus superioris, sicut potest cum subditis? Negant multi cum Azor., Suar. tom. 2. de Relig. lib. 6. de Voto cap. 11. num. 4. apud Merol. num. 148. quia nemo potest erga seipsum jurisdictionem exercere, cum nemo sit sibi superior; Sicut enim nemo potest seipsum ligare, ita nec solvere. Communius tamen cum eodem Suar. lib. 6. de legibus cap. 12., & de Censur. disp. 41. sect. 2., Sanch. lib. 8. disp. 3., Pal., Sal. disp. 20. cap. 3. affirmant, quia id non repugnat juri Ecclesiastico, cum nullus reperitur textus, qui id virtualiter prohibeat: Nec repugnat juri naturali; in tantum enim repugnaret, in quantum actus jurisdictionis requirit distinctionem personarum; sed quam-

vis

vis requirat distinctionem personarum, tum jurisdictio contentiosa, quæ testium probationem requirit, quia iniquum est in propria causa idem sibi jus dicere contra jus ab adversario intentum, ex *leg. unica Cod. Ne quis in sua causa*; tum jurisdictio coactiva, seu punitiva, quam in semet exercere repugnat; tum demum jurisdictio in actu sententiæ; cum nemo debeat seipsum in propria causa sententiarum, condemnare, aut liberare; unde nemo potest seipsum sacramentaliter absolvere: At non requirit distinctionem personarum jurisdictio voluntaria, quæ in dispensatione exercetur, cum non sit contentiosa, nec coactiva, aut absolutiva: Et ratio est, quia Superior relate ad propriam legem non proprie dispensat, ut diximus; relate vero ad legem superioris intantum potest dispensare cum subditis, inquantum id sibi conceditur a Superiore; præsumendum autem est, quod Superior committat suas vices Prælato inferiori, quod possit tam cum suis subditis, quam secummet dispensare, quando id expediens visum fuerit, ne ipse deterioris conditionis sit, quam subditi; Et idem dicendum in dispensatione votorum; præsumendum enim est, quod Deus concesserit Prælati facultatem remittendi nomine ipsius Dei obligationem, tam relate ad subditos, quam relate ad seipsum. Quod ex eo aperte confirmatur, quia si eodem modo requireret distinctionem personarum jurisdictio coactiva, ac jurisdictio voluntaria ad dispensandum, sequeretur, quod sicuti superior obligans sua lege subditos non comprehendit seipsum, excommunicans in universum omnes reos alicujus delicti, non excommunicat seipsum, quamvis talis delicti reum; ita dispensans in universum cum suis subditis in lege jejunii, nec comprehenderet sei-

psum, quod est falsum; Unde dictum illud, quod non possit solvere, qui non potest ligare, in eo sensu intelligendum est, quod non possit in universum legem tollere, qui non potest illa ligare; non vero quod non possit in aliquo casu speciali tollere aliquis a se obligationem legis per dispensationem, quamvis non possit seipsum obligare; cum de facto concedatur communiter, quod Prælati dispensans in universum, verbi gratia, in lege jejunii, eximat etiam se a tali obligatione, quamvis non possit se ad id obligare directe vi legis.

IV. Hinc sequitur primo, quod vel possit Pontifex sibi indulgentias directe largiri, ut diximus ex Henr. & Suar. disp. 5. num. 5.; vel si non possit, ex eo sit, ex D. Th. in 4. dist. 20. art. 1., quia nulla causa justa datur, ut sibi directe eas concedat; præsertim quia sicut non potest aliquis seipsum absolvere, ita nec decet, ut Indulgentias sibi largiatur, quæ habent pro debita poena satisfacere, & debitum solvere.

V. Sequitur secundo ex Pal., quod si Prælati inferior per sententiam contraxit irregularitatem, depositionem, aut aliam inhabilitatem, nec possit illam a se immediate, & directe tollere, quamvis id possit relate ad subditos. Ratio est, quia cum non possit eam tollere, nisi ex commissione Superioris, non est præsumendum, quod Superior velit eidem concedere, quod possit illam directe ab se tollere, quia frustra illam imposeret, & frustra esset talis coactio; Contra vero ex Sanch. lib. 8. disp. 3., si istæ poenæ non per sententiam, sed ipso jure a Prælati inferioribus incurran- tur, possunt secummet dispensare, sicut cum subditis; quia tunc habent rationem legis, in qua possunt, ut diximus, secummet dispensare, non vero rationem sententiæ, a qua ne-

mo potest seipsum liberare.

VI. Queritur secundo, an Superior loci possit cum peregrinis, forensibus, & vagis dispensare eo modo, ac cum subditis?

Respondeo, certum esse, quod Superior possit in lege sua dispensare cum omnibus iis, qui ea obligantur; obligatio enim talis legis pendet a sua voluntate. Relate autem ad dispensationem in voto, juramentis, & aliis legibus Superioris, certum etiam est, quod possit Superior loci cum vagis dispensare, sicut cum omnibus aliis suis subditis; quia Vagi nullibi domicilium habentes ratione habitationis subduntur Superiori loci, in quo resident, itaut possint ab eo omnia Sacramenta recipere; ut notat Lefs. cap. 40. num. 121., & Sanch. lib. 3. disp. 25.: Solum itaque dubium est de forensibus. Prima sententia Suar. lib. 6. de Voto cap. 11., Sylvest., Tabien., & aliorum docet, ad dispensationem obtinendam in legibus Superioris, votis, juramentis, irregularitatibus, & aliis similibus necessario requiri domicilium; unde forensis quousque non acquirit domicilium, seu habitet alicubi cum animo ibi permanendi perpetuo, (prout diximus quæst. 3. art. 3.) non potest in his dispensari. Ratio est, quia aliter forensis non censetur esse subditus Superioris loci, cum non censeatur esse illius Parochianus: quod autem superior cum solis subditis dispensare possit, est manifestum; tum quia dispensatio est actus jurisdictionis; tum etiam quia Sacra Congregatio Concilii apud Merol. num. 138. declaravit, forenses, qui in aliquo loco gerit officium Prætoris, Medici, vel Officialis, posse ab Ordinario loci absolvi in Sacramento Pœnitentiæ; non tamen dispensari; Unde videtur non sufficere quasi domicilium, sed requiri domicilium ad dispensationem.

Secunda sententia Sanch. lib. 3. disp. 23., Hear., Lefs. cap. 40. num. 121., & Suarii laudati aliter sentientis lib. 2. de diebus festis cap. 14. docet ad id requiri, & sufficere quasi domicilium, seu habitationem cum animo permanendi ibi pro majori parte anni. Quod hoc sufficiat, probant, tum quia durum videtur, quod Scholastici, & alii, qui in aliquo loco multis annis habitant, non possint ibi votorum, & aliorum casuum dispensationem obtinere; tum etiam quia ratione hujus quasi domicilii fortitur quilibet forum externum, itaut possit ibi conveniri de alibi gestis, ex cap. *Ex parte, de foro compet.*, ergo etiam fortitur forum in rebus spiritualibus, itaut possit dispensari; utrumque enim forum æque subjectionem, & jurisdictionem petit; Unde bene dici potest Parochianus alicujus loci, vel Ecclesiæ, qui ibi pro majori parte anni habitat, ut plures docent apud eundem Sanch.: Quod vero hoc quasi domicilium ad dispensationem requiratur, probant, tum ex fere communi Doctorum sententia; tum quia, ut diximus, si hoc requiritur ad acquirendum forum externum, ut possit aliquis conveniri de alibi gestis, requiritur etiam ad acquirendum forum internum, ut possit aliquis dispensari. Limitant tamen hoc, nisi necessitas aliud postulet; hac enim de causa videmus, quod passim Episcopi tempore Quadragesimæ indifferenter dispensant cum omnibus etiam peregrinis, ut vescantur cibis paschalibus, & ut diebus festis exercere possint opera servilia; præsumitur enim in his casibus, quod velit Pontifex, Episcopum posse etiam cum peregrinis dispensare.

Tertia demum sententia Basilii Pontii docet, Episcopum posse dispensare etiam cum peregrinis, quamvis quasi domicilium non habeant in eo loco; quia sicut

sicut tenentur, ut ipse putat, legibus loci tanquam subditi, ita gaudent privilegiis subditorum; habent enim sufficientem subjectionem ad utrumque ratione habitationis. Ad declarationes autem Congregationis Concilii factas approbante Gregor. XIII. respondet, Ideo non posse Episcopum cum peregrinis dispensare, non quia deficit jurisdictio, sed quia regulariter deficit causa ad dispensandum; quod si daretur causa, quae non solum sufficiat, ut dispensentur, sed etiam ut dispensentur ab Ordinario illius loci, tunc posset hic ex praesumpta voluntate proprii Ordinarii, aut Pontificis cum peregrinis dispensare, non secus ac cum subditis. Haec sententia parum habet probabilitatis. Secunda est probabilior, & communior; Prima tamen videtur vera; & sequenda esset, si authentice constaret de declarationibus illis Congregationis Concilii factis consulto, & approbante Gregor. XIII., quae videntur omnino requirere habitationem domiciliarem in eo, cum quo est dispensandum, ut possit talis jurisdictio cum illo exerceri.

VII. Queritur tertio, An possit Metropolitanus, seu Archiepiscopus dispensare cum Episcopis suis suffraganeis, & cum subditis suffraganeorum?

Respondeo, & dico primo, posse Archiepiscopum cum Episcopis suffraganeis dispensare. Ita Avil., Sanch. lib. 4. cap. 38., Henr. Ratio est, quia habet in illos jurisdictionem ordinariam, ut constat, tum ex cap. *Suffraganeis*, *De electione*; tum quia potest illis praecipere, & si negligentes sint, ad officium compellere, ex cap. *Solicitudinem*, *De Appellatione*. Quare si Episcopi subduntur illi in odio, a fortiori in favorabilibus; Et confirmatur, quia potest Episcopus dispensare in votis, juramentis, & aliis cum Praelatis Religionum, quamvis

isti exempti sint a jurisdictione ipsius, ut dicemus quaesito sequenti; ergo a fortiori Archiepiscopus id potest cum Episcopo suffraganeis, qui ab ipsius jurisdictione non sunt exempti. Neque obstat, quod talis potestas dispensandi in votis non sit necessaria; eo quod habeatur ab ipsis Episcopis, qui possunt secummet dispensare. Nam sicut talis potestas dispensandi cum Episcopis est in Pontifice, etiamsi Episcopi habentes hanc potestatem possint secummet dispensare, ita erit pariter in Archiepiscopo.

Dico secundo: Archiepiscopus non potest dispensare cum subditis Episcoporum suffraganeorum, nisi in casibus a jure concessis. Ita communiter cum Rodriq. apud Merol. num. 141.; Ratio est, tum quia Archiepiscopus non habet ordinariam jurisdictionem, & curam nisi Dioecesis propriae, & solum est iudex in causis Dioecesis suffraganeae per appellationem ad eum deductis, ex cap. 1. *De Officio legati*. Casus autem in jure hac in re concessi sunt: Primo, si ad Archiepiscopum causa devolvatur, eo quod nolit Episcopus dispensationem debitam suo subdito concedere: Secundo, quando habet quidem Episcopus justam causam dispensandi cum subdito, sed non vult dispensare, quia non tenetur; quamvis non possit tunc appellari ad Archiepiscopum, cum non detur locus appellationi, quando non committitur iniustitia, & gravamen; potest tamen implorari officium Metropolitanum, ut ex officio, & misericordia ipse dispenset, aut faciat, ut dispenset Episcopus. Ita Sanch. lib. 3. de Matrim. disp. 10., Avil., Henr. contra Pal. §. 3. n. 2. Tertius casus ex Henr., Avil. 2. part. cap. 7. disp. 1. dub. 10., & aliis apud Merol. num. 142., quod possit Archiepiscopus dispensare, quando visitat Dioeceses suffraganeorum; quia tunc censentur sub-

subditi, cum possit illorum confessiones audire, ex cap. fin. *De Censib.* in 6. Sed communius cum Sanch. lib. 4. Sum. cap. 38. Pal., & aliis id negant, quia cum solum in jure concedatur Archiepiscopo, quod possit suffraganeorum subditorum confessiones audire in actu visitationis, nec fiat mentio, quod possit dispensare, & potestas dispensandi non sit necessario conjuncta cum potestate absolvendi, non bene inferitur, quod possit in actu visitationis dispensare.

VIII. Quæritur ultimo, An possint Episcopi dispensare cum Regularibus exemptis suæ Diocæsis eodem modo, ac cum aliis subditis?

Respondeo, certum esse, quod sine Superiorum suorum licentia non possint Regulares exempti valide ab Episcopo dispensari; cum non sint subditi, & dispensatio sit actus jurisdictionis. An autem possint de licentia suorum Superiorum, veluti cedentium beneficio, & privilegio exemptionis? Negant Suar. tom. 2. de Relig. lib. 6. de Voto cap. 11., Ledesm., & alii apud Avil. loc. cit. dub. 6. quia non potest Prælatus regularis subdicere Episcopo Religiosum exemptum a Pontifice; Præsertim quia hoc privilegium exemptionis non est personale, sed totius Religionis; Unde non potest privata persona illi cedere: Sicut non potest Clericus renunciare privilegio Clericatus, & consentire in judicem laicum, ex cap. *Si diligenti, De foro competenti.*

Affirmant tamen probabilius Henr., Sanch. lib. 4. cap. 39., & ipse Suar. disp. 41. sect. 2. de Censuris, & disp. 30. sect. 2. de Pœnitentia; quia beneficium exemptionis datur Religiosis, ut quietius Deo serviant, & non perturbentur ab Episcopis; Unde in his, quæ quietem, & favorem Religionis concernunt, non debent esse pejoris conditionis, quam alii ejusdem Di-

Part. I.

cessis non exempti; quia privilegium in tali casu contra ejus finem operaretur: Quare in his casibus favorabilibus censetur tota Religio per Episcopum consentire. Et hæc est disparitas, quare non possit Clericus, & Religiosus renunciare privilegio exemptionis in jurisdictione contentiosa; possit tamen Religiosus cedere privilegio exemptionis in jurisdictione ista voluntaria; In illo enim casu resultaret odium, in quod non censetur status Clericalis, vel tota Religio consentire; Contra in secundo casu habetur tantum favor, & ideo censetur tota Religio cedere privilegio exemptionis. Addunt Sanch., & Molin., id verum esse etiam vel quando Prælatus Religionis est absens, aut excommunicatus vitandus, vel quando injuste negaret Religioso subdito dispensationem; Possit enim hic in tali casu dispensari ab Episcopo; quia per Episcopum non est præsumendum, voluntatem Pontificis, & totius Religionis esse, quod Episcopus non possit in eo casu dispensare, & cogatur Religiosus vagari, & accedere ad Sedem Apostolicam ad impetrandam dispensationem.

Denum aliqua notanda sunt: Primum est, quod sicut probabilius potest Religiosus de licentia sui Prælati dispensari ab Episcopo, ita potest ipse Prælatus regularis immediate se subdicere Episcopo, ut dispensetur; quia potest uti licentiis, quas ipse subditis concedere potest, ut supra diximus. Secundum est, quod si Religiosus non possit dispensari a Prælato immediato, sed solum a suo Provinciali, vel Generali, non satis sit licentia Prælati immediati, ut possit Religiosus ab Episcopo dispensari; quia, ut notat Sanch., cum habeatur in tali casu remedium intra Religionem, non est præsumendum, quod velit Religio consentire, ut extra illam remedium petatur; Hoc enim noceret de-

X

bitæ

bitæ subordinationi subditorum, & frustranea esset reservatio casuum facta superiori Prælato, si posset Religiosus de licentiâ Superioris immediati adire Episcopum, ut absolvatur. Bene tamen hoc limitat Basil., & Pal., nisi necessitas urgeat impetrandi dispensationem, & Superior Prælatus facile adiri non possit. Tertio notandum, quod quando Prælatus regularis potest ipse dispensare cum suo subdito, manifestum sit, quod possit tunc illum subicere Episcopo, aut alteri, ut cum eo dispense; quia tunc Episcopus tanquam Delegatus ab ipso Superiore, & ipsius vices gerens dispensaret: Quare si nullus Prælatus Religionis posset subditum absolvere; aut si posset Superior mediatu, sed necessitas urgeret, & non posset facile adiri; aut si injuste negaretur dispensatio a Superiore, tunc habet locum sententia ista Sanch., quod præsumatur Religio privilegio exemptionis cedere, unde possit subditus de licentiâ Prælati ab Episcopo dispensari, vel absolvi, ut notat Pal. §. 4. num. 6. Demum notandum, in compendio Privilegiorum Mendicantium apud Sanch. loc. cit. haberi, quod possint universim Religiosi ex suorum Prælatorum licentiâ Episcopum adire pro dispensatione obtinenda.

ARTICULUS IV.

De Causa ad dispensandum
requisita.

- I. Ad valide dispensandum in lege propria non requiritur causa; Requiritur tamen probabilis causa, ut valeat dispensatio data ab eo, cui Legislator tribuit facultatem dispensandi.
- II. Ut licite tamen dispensatio concedatur, quanam causa requiritur?

- III. Num, & quando mortaliter peccet Legislator dispensando in propria lege sine causa proportionata?
- IV. Qualiter peccet subditus petendo a Superiore dispensationem, qua sine justa causa detur?
- V. Num peccet, qui vivit dispensatione valide quidem, sed illicite sibi data?
- VI. In dubio de sufficientia causa ad dispensandum potest subditus iudicio Superioris se remittere, & licite uti dispensatione.
- VII. Pro foro tamen externo constare debet de sufficientia causa.
- VIII. In iure communi vetatur Episcopis, ne sine justa causa in suis legibus dispensent; sed non eatenus talis dispensatio est invalida.
- IX. Invalide dispensat Pontifex sine justa causa in iure Divino, ac naturali.
- X. Num sit invalida dispensatio in lege Superioris, si dispensanti non innotescat justa causa, qua tamen revera adest?
- XI. Quid si viceversa causa justa absit, & Superior dispensans bona fide supponat illam adesse?
- XII. Quanam censenda sit legitima causa ad dispensandum?
- XIII. Num teneatur Superior data justa causa dispensationem concedere?
- XIV. An possit dispensans in lege Superioris onus aliquod imponere dispensato?
- XV. Qui potest in voto dispensare, potest etiam illud commutare; At qui potest in lege Superioris dispensare, non eatenus potest illam commutare.
- XVI. Episcopus dispensans in irregularitate quomodo possit aliquando multam imponere.
- XVII. Num requiratur gravior causa ad dispensandum in voto, quam in lege Superioris?

I. Inquirenda hic causa requisita tum ad valide, tum ad licite dispensandum, & quidem tum in lege propria, tum in lege Superioris; Sicut etiam num Superior supposita iusta causa ad dispensandum, ad id teneatur; Et an possit aliquid imponere dispensando?

Quæritur itaque primo; Utrum requiratur causa, ut Legislator valide, aut licite possit in propria lege dispensare?

Respondeo, & dico primo, ad valide dispensandum in propria lege nullam causam requiri, quia ab eius voluntate unice pendet obligatio; ut docent communiter contra nonnullos apud Merol. num. 237. Et idem dicendum de successore Legislatoris in eadem dignitate, & de Superiore Legislatoris: Sicut enim valet absolutio ab excommunicatione data ab istis sine causa, ita dispensatio. Utrum autem valeat dispensatio sine causa data ab eo, cui Legislator dedit facultatem dispensandi? Affirmat Sà, si Legislator det alicui plenam potestatem dispensandi, ut dat Papa Legato, seu Nuncio Apostolico; Sed communiter cum Sanch. lib. 8. disp. 17. negant; quia quamvis id possit facere Legislator, tamen non est credibile, quod de facto det ulli facultatem dispensandi, itaut valeat dispensatio data sine causa; quia non potest licite sic concedere facultatem dispensandi.

II. Dico secundo, ad licite dispensandum requiratur causa proportionata materię; quia Legislator sicut in impositione legis, ita in dispensatione tenetur bono communi prospicere. Docent etiam id communiter contra Angel., Armil., Sylvest., & alios apud Merol. num. 381. Neque obstat, quod aliquando petantur a Pontifice dispensationes in gradibus prohibitis nulla assignata causa; Nam tunc pro causa concessionis succedit copiosa e-

leemosyna donata a dispensato in sumptus publicos eroganda. Neque dicas, quod data iusta causa ad dispensandum non requiratur auctoritas Superioris; quia iusta sufficiens est ad excusandum ab obligatione legis humanę; ergo Superior potest licite etiam sine causa dispensare. Nam tunc sine dispensatione quilibet excusatur ab obligatione legis humanę, quando causa est per se certo sufficiens ad excusandum; ut qui feбри laborat, non indiget, ut dispensetur in jejuniis; At aliquando causa non est sufficiens ad excusandum, sed est sufficiens ad dispensationem licite concedendam; cum ad hoc non requiratur causa tam rigorosa, quam ad illud: Unde infirmitas gravior requiritur, ut aliquis excusetur a jejuniis, quam ut possit dispensari; Et copiosa eleemosyna data in sumptus publicos satis est, ut possit licite Pontifex sine exceptione personarum dispensare cum aliquo in gradibus prohibitis; quę tamen causa non satis est, ut a tali lege quilibet eximatur. Sic labor improbus, qui fieret ab aliquo quibusdam diebus anni, potest esse sufficiens causa, ut toto anno dispensetur a Pontifice in jejuniis, in horis Canonice; quamvis eadem causa solum satis sit ad eximendum illum pro tempore impotentię.

III. Dubium est primo, an peccet mortaliter Legislator dispensans in lege sua sine iusta causa? Suar. lib. 6. de Legibus c. 18., Valent., Rodriq., & alii apud Pal. docent, ex genere suo esse mortale, nisi levitas materię excuset: Verbi gratia, peccat mortaliter Pontifex dispensando sine causa cum Sacerdote, ne recitet officium, ne jejuset in Quadragesima. Ratio est, quia peccat contra iustitiam distributivam; nam hoc est proprie acceptio personarum, quę opponitur iustitię distributię, ex D. Th. 2. 2. quęst. 63., & ex genere suo est mortale. Sed commu-

nus cum Sanch. lib. 8. disp. 18., Sal., Laym., Pal., & Merol. num. 293. docent esse veniale, si absit scandalum, aut damnum notabile aliorum; Sicut diximus veniale esse, si Legislator sine causa nolit suam legem observare, ad quam tenetur vi directiva ex lege universali. Ratio est, quia non videtur gravis deformitas, quod pars non conformetur toti. Ad rationem in contrarium respondet Sal., non omne peccatum contra justitiam distributivam esse mortale, nisi adsit materia gravis: Sicut quamvis peccatum furti ex genere suo sit mortale, tamen non omne peccatum furti est mortale, nisi sit materia gravis: Etenim ex genere suo aliquod peccatum esse mortale solum importat, quod ut plurimum sit mortale, nisi excuset parvitas materiae, aut indeliberatio, &c.; in casu autem nostro videtur esse materia levis contra justitiam distributivam eximere aliquem sine causa a legis obligatione, quando hoc nec trahit scandalum, nec damnum aliorum; quia injuria hæc inæqualitatis non censetur gravis; Sicut intervenit injuria gravis inæqualitatis in distributione officiorum, & Dignitatum; quia tribui hæc minus digno cedit in grave damnum digniorum, & Reipublicæ.

IV. Hinc sequitur, quod subditus petens a Superiore dispensationem in lege ipsius Superioris, sine justa causa, peccet quidem, quia petit rem intrinsece malam, quam non potest Superior ponere sine peccato; Sed juxta primam sententiam peccat mortaliter, quia petit rem, quam Superior sine mortali ponere non potest; Juxta secundam vero sententiam peccat tantum venialiter, quia Superior juxta secundam sententiam peccat tantum venialiter sic dispensando.

V. Dubium est secundo, an peccet, qui utitur dispensatione facta valide a Legislatore in lege sua, sed il-

licite, quia sine causa? Ledesm. apud Merol. num. 297. putat peccare mortaliter, ut docet de Legislatore concedente dispensationem. Verum communius, & probabilius docent cum Sanch., Valent., Cordub., peccare solum venialiter propter deformitatem, quam secum fert, quod pars sine causa difformetur a toto; ut diximus de Legislatore transgrediente legem suam. Suar. tamen lib. 6. cap. 19., Sal., Azor. putant, probabilius esse, quod ne venialiter quidem peccet; quia nulla est obligatio, ne valide dispensatus difformetur ab aliis in legis observatione; Solum itaque putant, peccatum committi a dante, vel petente dispensationem sine causa, non ab utente illa: Et Legislator transgrediens legem suam peccat, quia secummet tunc veluti dispensat, atque adeo sine causa vulnerat legem suam, quod lege naturali illi prohibetur, non præcise quia utitur dispensatione sine causa sibi data; Quamvis Cajet., & alii apud Bonac. quaest. 2. punct. 3. num. 6. contra Suar. putent, præciso scandalo non peccare ne venialiter quidem Legislatorem, si secum sine justa causa dispense; quia lege naturali tantum tenetur servare suam legem, nisi secum dispense; non vero tenetur non dispensare secummet, præciso scandalo: Quando vero quis uteretur dispensatione invalide data, puta dispensatione voti data sine justa causa a Pontifice, procul dubio peccaret mortaliter, quia dispensatio invalida non eximit dispensatum a lege, sicut eximit dispensatio valida, quamvis illicite data.

VI. Demum qui dubitat, an subsit justa causa ad dispensandum, petitque dispensationem remittendo Superiori judicium de sufficientia causa, potest licite uti dispensatione; quia præsumendum est, quod Superior judicaverit, causam esse sufficientem, & quod

quod non peccaverit dispensationem concedendo.

VII. Dubium tamen est tertio, An præsumatur semper sufficiens causa in Superiore dispensante, quando de causa non constat? Et sane si motu proprio in lege propria dispenset Legislator, præsumi debet iusta causa; quia Princeps præsumitur iustitia plenus: Si vero dispenset in lege Superioris, tunc causa non præsumitur, sed probari debet; quia si dispensat ad instantiam, censetur dispensatio extorta propter importunitatem, juxta Bartol. in leg. 1., Cod. De petit. bon.; Si vero citra instantiam dispensat in lege Superioris, cum id absque causa fieri nequeat, opus est de causa constare. Notant tamen Sanch., & Armil., Suar. apud Merol. num. 266., id intelligendum esse pro foro externo; Nam pro foro conscientie præsumi semper debet causa sufficiens, quando non constat oppositum; quia non est subditi facta Prælatorum discutere.

VIII. Dubium est quarto, An sicut dispensatio Superioris, verbi gratia Pontificis, facta sine iusta causa in propriis legibus est valida, ita etiam sit valida dispensatio facta ab Inferiore, puta ab Episcopo, in legibus suis sine iusta causa?

Respondeo, aliquos cum Innoc. negare apud Merol. num. 250., quia talis dispensatio est contra jus commune in cap. Cum omnis, De constitution. dispensatio autem Inferioris in jure communi facta sine causa est invalida. Sed communiter affirmant; quia eadem est ratio de Superiore, ac de Inferiore Legislatore relate ad leges suas. Ad rationem in contrarium respondetur, prohiberi quidem in jure communi, quod fiat ab inferiore Legislatore, verbi gratia ab Episcopo, dispensatio in suis legibus sine causa, & ideo talis dispensatio est illicita, utpote contra talem prohibi-

tionem; at non per hoc est invalida; quia dispensando Episcopus in suis legibus contra prohibitionem juris communis, non dispensat in jure communi, sed violat jus commune dispensando valide in legibus suis: Sicut diximus, quod possit valide Episcopus dispensare in propriis legibus, quamvis juraverit se non dispensaturum; quia dispensando violat juramentum, & peccat, non vero dispensat in juramento; ut communiter docent contra Armil., Tabien., Azor. apud Merol. num. 255.

Hinc sequitur, dispensationem Episcopi, vel Archiepiscopi factam sine causa in legibus Synodi Diocesane esse validam; quia, ut diximus cum communi contra Medin., & Rodriq., Episcopus non est inferior synodo ista, nec se habet ad illam instar Decani ad Capitulum Ecclesie Cathedralis, sed ut Legislator adhibens Parochos ut Consiliarios, non ut Legislatores; Contra vero Archiepiscopus est inferior Concilio Provinciali, seu Nationali; cum ab Archiepiscopo ad tale Concilium detur appellatio, ut communiter docent cum Glos. in cap. A collatione, De appellat. in 6. (Quicquid sit, an incurrat censuras in eo latus, cum videatur eximi in cap. Grave, De præbendis, apud Merol. num. 263.) & ideo dispensatio facta sine causa ab Archiepiscopo, necnon ab aliis Episcopis suffraganeis in legibus Concilii Provincialis est invalida.

IX. Quæritur secundo, Utrum requiratur causa, ut possit inferior in lege Superioris valide dispensare?

Respondeo cum communi affirmative; quia non censetur Superior concedere inferiori potestatem, nisi ad dispensandum rationabiliter: Quare sicut OEconomus dissipans, & alienans bona Domini, contra ipsius voluntatem, non transfert dominium, quia cum non sit dominus, sed administra-

tor,

tor, debet bona illa administrare juxta præsumptam voluntatem domini; ita in casu nostro Inferior si sine causa dispensat in lege Superioris, invalide dispensat, quia veluti dissipat bona domini contra ejus voluntatem; cum non possit iis uti, nisi ex præsumpta voluntate Superioris.

Hinc sequitur, invalide Pontificem dispensare sine causa in jure Divino, aut naturali, videlicet in voto, juramento, residentia Pastorum, &c; invalide etiam Episcopus, & Archiepiscopus dispensant in lege Concilii Provincialis, & a fortiori in lege Pontificis sine causa: Unde nisi excuset parvitas materiæ, mortaliter peccat tam concedens, quam petens talem dispensationem, quam ea utens, ut communiter docent Doctores. Putat Sanch. lib. 8. disp. 17. num. 6., non peccare dispensantem in lege Superioris non examinando causæ sufficientiam, quando illi committitur, ut dispense cum determinatis personis, nulla mentione facta cognitionis causæ dispensandi; quia tunc Commissarius est merus executor, & præsumere debet, quod committens causam dispensationis examinaverit. Sed Pal., & Merol. num. 205. id negant; quia quamvis non fiat mentio cognitionis causæ, non per hoc omitti potest; quia a jure ipso naturali monetur dispensans ad examinandum causam dispensationis; Unde non debet a delegante moneri.

X. Dubium est primo, Utrum valida sit dispensatio facta in lege Superioris, non præcognita causa a dispensante, quæ tamen revera aderat?

Negant Azor., & Navar. apud Merol. num. 210., tum quia sic dispensans excedit limites suæ commissionis; præsumitur enim, & aliquando expresse est commissæ facultas dispensandi, præmissa cognitione causæ, prout jure naturali dispensans est obligatus;

Tum etiam quia in Trident. sess. 24. cap. 18. dicitur, dispensationem factam, non cognita causa, surreptitiam censeri. Sed communius affirmant in foro conscientie validam esse cum Sanch. lib. 8. disp. 17., Sal. disput. 20. sect. 9.; tum quia sicut valet lex imposita absque cognitione causæ, si revera intercedat causa boni communis; ita valet hujusmodi dispensatio; Tum pariter quia in Cap. *Nihil*, *De elect.* dicitur, Electus sine causâ examine esse ejiciendus, cum est indignus; unde a contrario sensu infertur, quod si sit dignus, non debet ejici. Quare ad rationes in contrarium respondetur, præsumendum quidem esse, quod sit commissæ facultas dispensandi cognita causa, & sæpe expresse id imponitur; sed ut rite, & recte, non ut valide fiat dispensatio. Immo aliquando licite fit non præmissio examine causæ, quando scilicet causa vel constat ipsi dispensanti, vel est notoria; quia in notoriis non exigitur ordo juris, nec opus est examine, ex Cap. *Manifesta* 2., *quæst.* 1. Quare Trident. loc. cit. intelligendum est quoad præsumptionem fori externi; dicit enim, surreptitiam censeri, non esse.

XI. Dubium est secundo, An contra valida sit dispensatio facta in lege Superioris, quando dispensans bona fide judicavit causam esse sufficientem, cum revera non sit talis?

Affirmant communius cum Azor., Vasq., Molin., Sà, Rebel. Sanch. loc. cit., & aliis apud Bonac., quia non est credibile aliam esse Pontificis intentionem circa leges suas, dum permittit inferiori, ut dispense; recta enim Ecclesiæ gubernatio postulat, ut scrupulis obvietur; nec oportet passim infringere gesta bona fide a Prælati. Unde Azor. lib. 7. cap. 29. quæst. 6. docet, quod si Prælati dispenset bona fide cum aliquo in lege
jeju-

jejunii, putans causam esse justam, talis dispensatio profit, quia bona fide facta: Et idem docent aliqui de dispensatione facta in voto, & in jure Divino cum Reginald. lib. 31. num. 195. ; quia inter homines gesta, vel dispensata ab Oeconomo bona fide valida sunt, nec dominus aliud requirit a suo œconomo, quam ut bona fide procedat; Similiter nec aliud Deus requirit a Pontifice dispensante in votis. Sal. tamen disp. 20. sect. 4, Navar., Bonac. num. 8., Pont., & alii arbitrantur oppositum; Docent enim non esse tutum in conscientia, qui tali dispensatione utitur, quando illi constat, causam non impulsivam, sed finalem, seu motivam fuisse insufficientem, etiamsi bona fide dispensationem petierit; quia sicut bona fides petentis non facit validam dispensationem factam in lege superioris a Prælato non judicante dari causam sufficientem, ut diximus, ita nec facit validam dispensationem bona fides concedentis, quando dispensatus advertit, causam non esse sufficientem, & ex errore concessam esse dispensationem. Et ratio a priori est, quia in dispensatione semper præsumendum subintelligi clausulam illam, *Si causa subsistat*; quia non præsumitur delinquere, qui dispensat; delinqueret autem, qui vellet dispensare, etiamsi causa non subsistat. Neque obstat, validam esse alienationem bonorum Ecclesiæ factam a Prælato bona fide putante dari sufficientem causam, quæ revera non datur; ut docent communiter cum Molin., & Bonac. De Contractibus disp. 3. quæst. 8. punct. 4, Nam ex hoc, quod Ecclesia noluerit irritare contractum in proposito casu ad vitandas lites pro foro externo, ut docent communiter Doctores, & ipsa experientia, non inde sequitur, quod non sit irrita in foro conscientie similis dispensatio, ad quam licite

concedendam justa causa requiritur; Nam exceptio, seu dispositio specialis in uno casu non est ad alium trahenda, ex leg. *Jus irregular. ff. De legib.*; Nec obstat ratio in contrarium adducta a Sanch., quia bona gubernatio Ecclesiæ non postulat, ut sint valida, quæ sine causa sufficienti bona fide peracta sunt, sed quod non peccet, qui tali dispensatione utitur, donec constiterit de causæ insufficientia. Equidem huic sententiæ subscribo; censeo tamen primam sententiam communiorum esse valde probabilem; Satis enim videtur, ut bona fide petita sit, & concessa dispensatio, ut censeatur velle Superior illam concedere, etiamsi constiterit, causam non esse sufficientem; sicut valida sunt inter homines dispensata ab Oeconomo bona fide, & possunt ea bona retinere, etiamsi deinde constet, causam non esse sufficientem.

XII. Dubium est tertio, quanam censeatur legitima causa ad dispensandum?

Respondeo cum communi, prudentis arbitrio definiendum, spectata præsertim qualitate personæ, ex qua sapè oritur sufficiens causa dispensationis; quia ad bonum publicum spectat personas excellentes gratas habere, ex D. Th. 2. 2. quæst. 63. art. 2. ad 2., & Trident. sess. 24. cap. 5.: Spectari etiam debet necessitas, utilitas dispensationis, pietas. Semper tamen dispensatio cedere debet in bonum publicum, cum sit actus auctoritatis publicæ, & jurisdictionis communis; Cedit tamen in bonum publicum, si dispensetur, ut necessitatibus singulorum subveniatur; Verbi gratia, si ob inopiam, & paupertatem dispensetur cum aliquo in impedimento consanguinitatis; Vel ob periculum incontinentiæ in voto Castitatis; Vel si ad vitandum majus malum dispensetur in aliqua lege; hoc enim mediate confert

fert ad bonum publicum.

XIII. Quæritur tertio; an stante legitima, & iusta causa dispensationis teneatur Superior dispensationem concedere petenti?

Respondeo, Armil., & alios apud Sanch. lib. 3. de Matrim. disput. 10. docere, quod teneatur, & peccet, si neget sine iusta causa; quorum sententiam probabilem putat ipse Sanch., & Pal. punct. 8. num. 8.

Ratio est, quia si data legitima causa Superior cum uno subdito dispenset, & non cum alio, est acceptor personarum: Prælati enim ex iustitia distributiva tenentur pro merito causæ beneficium suæ potestatis distribuere subditis; cum in bonum subditorum habeat jurisdictionem. Suar. tamen lib. 6. cap. 18., Sal., Sanch., Rodriq., Pal. probabiliter negant teneri, quando dispensatio non conducit graviter ad bonum publicum, aut privatum alicujus: Sicut enim non tenetur Legislator legem ferre data iusta causa, nisi quando non potest alia via bono publico prospicere, ita nec semper tenetur dispensationem concedere; aliter quicquid posset facere Superior, ex necessitate faceret, contra legem *Quicquid 40. ff. De judiciis*: Et in cap. *Didici 1. quest. 7.* dicitur dispensatio esse gratia; ut sciatur, eam non esse debitam. In aliquibus tamen casibus dispensatio est debita; Primo quando jus præcipit, ut existente tali causa dispenseatur a Prælato; ut in Cap. *Domino Sancto, dist. 50.* Sicut etiam in dispensationibus Sacrae Pœnitentiariæ præcipitur discreto Confessario, ut dispenseat, si preces veritate nitantur. Secundo si subditus graviter ea indigeat ad vitandum grave damnum vel spirituale, vel temporale; tenetur enim tunc Prælati illam concedere; ex charitate quidem ad vitandum damnum temporale; ex officio tamen ad vitandum damnum

spirituale subditi, atque adeo ex iustitia. Tertio, si sit necessaria ad vitandum scandalum, vel ad commune bonum.

Ex his apparet, quid dicendum in delegatis, An scilicet teneantur dispensationem concedere petentibus ex causa? Sanch. lib. 4. cap. 54. loquens de voto dicit, quod habens privilegium dispensandi in sui favorem (ut habent Regulares) non tenetur uti hoc privilegio; secus tamen si privilegium concessum sit in favorem pœnitentis, Pal. vero punct. 8. putat, quod si Confessarius acceptavit electionem factam a pœnitente, ut ab eo dispenseatur, si cognoverit causam esse iustam, non possit deinde dispensationem negare iusta existente causa, etiamsi privilegium dispensandi habeat confessarius in sui favorem; Ratio est, quia ratione acceptatæ electionis ad id tenetur ex iustitia; Secus vero si electionem non acceptet.

XIV. Quæritur quarto, An quando inferior dispensat in lege superioris de licentia illius vel expressa, vel præsumpta, possit dispensato imponere aliquid onus, verbi gratia, quod recitet coronam, vel faciat elemosinam?

Respondeo, Azor., Navar., Suar. lib. 6. cap. 16. affirmare dicendo, quod possit Episcopus imponere, verbi gratia, recitationem coronæ illi, cum quo dispensat in lege jejunii, vel observationis festorum. Ratio est, quia cui licet, quod plus est, licet, quod minus est, ex Reg. *Cui licet, De reg. juris in 6.*, plus est autem dispensare, quam commutare; quare qui potest in lege dispensare, potest a fortiori commutare, & sic alia onera imponere. Monet tamen Suar., imponendum esse onus proportionatum dispensationi; Verbi gratia, si dispenseatur alicui in interstitiis, in denunciationibus ante matrimonium, in

con-

concessione dimissoriarum, ut possit ab alio Episcopo ordinari, &c. non est onus proportionatum, quod solvat pecuniam, etiam si per modum elemosynæ; quia hoc redoleret simoniam; sed esset proportionatum, quod aliquo tempore, verbi gratia, inserviat Ecclesiæ, aut aliud pium onus exerceat. Communius tamen cum Sanch. lib. 8. disp. 14., Filliuc., Bonac., Merol. num. 217. negant id posse fieri; quia facultas data ad dispensandum in lege Superioris non includit facultatem ad commutandam unam materiam legis in aliam; quia per dispensationem tollitur obligatio simpliciter, per commutationem tollitur una, & imponitur altera obligatio, quod non nisi a Legislatore supremo potest fieri; quia hic solus potest legem suam in aliam commutare, & sic dispensare, imponendo aliquod onus, ex cap. *Licet*, *De Fer.* Quando tamen dispensatio non est debita, cum non teneatur tunc Superior legem suam relaxare, poterit pro illius obligatione aliam materiam subrogare; si vero dispensatio sit debita, non potest imponere ullum onus, ut patet; quia pro actione debita nullum onus imponi potest.

XV. Hic autem notandum, quod qui potest dispensare in voto, possit etiam onus imponere in dispensatione, atque adeo illud commutare, ut dicemus in loco cum Less. contra Azor. Contra vero non omnis, qui potest dispensare in lege, potest illam commutare; Nam commutare in lege est plus, quam dispensare, commutare vero in voto est minus, quam dispensare, & hoc illud includit. Et disparitas est, quia quamvis commutans votum non possit ipse absolute novam voti obligationem imponere; at potest is, cui votum commutatur, acceptando commutationem, obligare se vinculo voti ad hanc aliam mate-

Pars I.

riam: Contra vero non potest ullatenus nec Prælatus non supremus, nec subditus commutare obligationem legis Superioris in aliam. Quod etiam patet a posteriori, quia potest vovens commutare sibi votum in melius, non potest autem commutare opus lege impositum in aliquid melius, verbi gratia jejunium in peregrinationem; cum non possit sibi novam legis obligationem imponere; Et sic respondetur ad rationem in contrarium.

XVI. Nec obstat, quod passim iudices Ecclesiastici dispensantes in irregularitate, vel alia lege Pontificis in casu sibi permisso imponunt aliquam multam pecuniariam per modum cuiusdam commutationis. Nam id faciunt innixi opinioni probabili oppositæ, putantes, quod Pontifex dando facultatem dispensandi det facultatem vel dispensandi integre, vel cum aliqua commutatione admixta. Præterquamquod quando Episcopus dispensat in irregularitate ex delicto, potest imponere onus non per modum commutationis, sed in pœnam delicti.

XVII. Quæritur quinto, an gravior causa requiratur ad dispensandum in lege humana, quam in votis, vel iuramentis? Verbi gratia, si quis voveat jejunare uno die, & detur lex Ecclesiastica jejunandi, utra est major obligatio requirens graviores causas ad dispensationem?

Respondeo, aliquos cum Navar. in Sum. cap. 12. num. 57., & Alberico apud Merol. num. 309. putare, obligationem voti esse graviores obligationem legis humanæ, quia omnia quæ possunt præcipi, possunt voveri, non e contra; cum castitas non possit præcipi, sed possit voveri, ex *Cap. Integritas* 32. *quest.* 1., Sanch. vero putat lib. 1. cap. 14. num. 8., legem esse magis obligatoriam, quam votum; quia major potestas, & voluntas superior videtur magis obligare, quam

Y in.

inferior potestas, & voluntas; Votum autem obligat ex voluntate propria, lex ex voluntate superioris, & ideo lex magis obligat, quam votum; Unde communiter gravior requiritur causa ad dispensandum in lege, quam in voto. Suar. tamen mediam viam probabilius inquit tom. 2. de relig. lib. 4. de voto cap. 3. dicendo, quod si materia legis humanae non spectet ad virtutem religionis, lex minus obliget, quam votum. Ratio est, quia gravius peccat, qui transgreditur votum jejunandi, quam qui transgreditur legem jejunii; siquidem iste peccat tantum contra temperantiam, & obedientiam, ille vero contra virtutem Religionis, quae est virtus altior, & ideo gravius obligans. Si vero materia legis humanae spectat ad eandem virtutem Religionis, ut est lex de audiendo Sacro, de communicando, de recitandis horis, tunc gravior est obligatio, ubi materia est gravior: Verbi gratia, quia lex de Eucharistia suscipienda est materia gravissima, gravius obligat, quam votum audiendi Sacrum, vel jejunandi: etenim quisvis uterque peccet contra Religionem, & qui transgreditur legem communio- nis, & qui violat votum audiendi Sa- crum, aut jejunandi; at quia lex illa praecipit aliquid gravius, obligatio est gravior: Contra vero si lex obliget ad recitandam coronam, & votum sit de jejunio in pane, & aqua, ob- ligatio voti est gravior ratione mate- riae, quamvis peccet contra Religio- nem, tam qui transgreditur istam le- gem, quam qui violat illud votum. Si vero circa eandem materiam spe- ctantem virtutem Religionis datur & lex, & votum, verbi gratia, de audienda missa, Suar. putat, incertum esse, utra sit major obligatio, legis, an voti? Sed probabilius est, quod docent Sanch. loc. cit., & Filliuc. quaest. moral. tract. 26. cap. 3. num.

78., majorem esse obligationem legis, propter rationem adductam; quia scilicet ceteris paribus est obligatio orta a potestate, & voluntate superio- re: Unde qui tenetur die Veneris, verbi gratia, jejunare ex voto, & die Saturni ex praeccepto, & alterutrum tantum jejunium potest ponere, debet omittere jejunium ex voto, & ponere jejunium praecceptum. Ad rationem in contrarium adductam ex Alberico, quod scilicet materia quaelibet praec- pti possit esse materia voti, & non e converso, Respondetur, hinc solum inferri, quod obligatio voti sit major extensive, quatenus ad plura extendi possit, quia magis voluntarie suscipi- tur.

ARTICULUS V.

Quibus de causis obtenta dispensatio sit invalida?

- I. Dispensatio est nulla, donec dispen- satio innorescat, & acceptetur.
- II. Multis de causis potest in dispensan- te deficere voluntas dispensandi.
- III. Ratihabitio de praesenti signis exter- nis manifestata sufficit ad dispensa- tionis concessionem.
- IV. Ratihabitio de futuro, quae sufficit ad licentiam concedendam, non suf- ficat ad concedendam dispensatio- nem.
- V. Quibus signis censetur Superior tacite dispensare?
- VI. Praelati taciturnitas saepe est signum permissionis, non dispensationis.
- VII. Num dispensationes metu extorta sint validae?
- VIII. Dispensatio extorta per dolum cir- ca causam finalem est invalida: Secus vero si dolus sit circa cau- sam impulsivam; In dubio prae- sumendum, quod causa fuerit impul- siva.
- IX. Rescriptum gratiae surreptitium est

est irritum; Rescriptum vero iustitia est irritandum.

X. Dispensatio est irrita, etiamsi bona fide dispensans erret circa causam finalem.

XI. Quid debeat in petitione exprimi, ne dispensatio sit surreptitia?

XII. Quanam jure, aut consuetudine universim exprimenda sunt?

XIII. Quando dispensatio est irrita, si altera tantum ex causis expositis sit falsa?

XIV. Num dispensatio sit partialiter valida, quando partialiter est surreptitia?

I. **D**ispensatio est invalida, tam si deficiat potestas dispensandi in dispensante, quam si deficiat voluntas dispensandi; Sicut etiam si nolit dispensatus acceptare dispensationem; Cum enim dispensatio sit veluti donatio obligationis, & donatio sine acceptatione sit invalida, ideo dispensatio universim sine acceptatione est invalida; ut proinde doceant communiter cum Sal. disp. 20. sect. 14., Suar., Sanch. lib. 8. disp. 26., Pal. punct. 11., quod si Procurator tuus absque tuo mandato impetret tibi privilegium, dispensationem, rescriptum, &c. hæc non habeant effectum, donec tibi innotescant, & acceptes; quia hujusmodi concessiones habent imbitam illam conditionem, Si tibi placita sint, & gratæ existant; ut videtur decisum cap. *Ad medium*, de *Concessione prebend.* Quamvis enim possit Legislator invito, & renuenti, dispensationem concedere; tamen hoc nunquam præsumi debet, nisi manifeste constet; ne gratiæ Principis vilipendantur.

II. Ostendimus articulo superiore, esse invalidam dispensationem, si data sit in lege Superioris ab inferiore sine justa causa, eo quod in tali casu deficiat in dispensante potestas; Quæ-

rendum nunc quomodo etiam sit invalida per defectum voluntatis dispensandi, seu consensus ad dispensationem requisiti; Inquirendo, an talis consensus sufficienter habeatur per ratihabitationem? Et quomodo deficiat, aut per metum Superiori incussum, aut ex ignorantia, vel errore, aut ex suppressione veritatis, aut falsitatis expressione circa causam finalem, aut ex taciturnitate rerum, quæ jure vel consuetudine exprimi debent?

III. Quæritur itaque primo, An concedatur dispensatio per meram ratihabitationem de præsentibus?

Respondeo advertendo, Ratihabitationem de futuro haberi, quando subditus utitur dispensatione, credens probabiliter, quod Superior conscius talis usus ratum illum habiturus sit; Et hanc ratihabitationem non sufficere ad concedendum de præsentibus dispensationem, aut jurisdictionem alteri, communiter Doctores docent; nam sicut non satis est præceptum præsumptum de futuro, ut obliget nunc; ita non satis est dispensatio præsumpta de futuro, ut nunc lex deobliget. Ratihabitio vero de præsentibus dicitur ipsa tacita dispensatio, seu præsumptio voluntatis superioris dispensandi, quæ aliquibus verbis, aut signis externis actu sit manifestata; Et hanc sufficere docent communiter cum Sanch. lib. 8. disp. 4., Suar. lib. 6. cap. 13., Sal., Pal. punct. 13. Verbi gratia si Pontifex sciens Titium esse irregularem, det illi beneficium, vel si sciens hodie esse diem Veneris præcipiat Titio, ut comedat carnes, in tali casu habetur dispensatio tacita, & ratihabitio de præsentibus, quæ sufficit ad licite operandum. Et ratio est, quia ad concedendam dispensationem non requiruntur verba determinata, sed satis est, quod voluntas Superioris dispensandi signis externis manifestetur; ergo si habeatur ratihabitio de

praesenti, habetur sufficienter valida dispensatio.

IV. Oppones: Ratihabitio de futuro satis est juxta probabilem opinionem ad honestandum actum alias prohibitum; ergo etiam ad dispensationem concedendam. Antecedens explicatur. Si Praelatus nihil sciat actu de actione subditi, sed credatur, quod si sciret subditum operari id, ad quod ejus licentia requiritur, & talis licentia peteretur, illam concederet, subditus non peccat; Verbi gratia, si Religiosus habens votum paupertatis rationabiliter praesumat, superiorem non fore invitum, si ipse pecuniam accipiat, & distribuatur, sed concessurum licentiam, si peteretur, & ratam habiturum acceptationem, & distributionem pecuniae, quando illius erit conscius, juxta probabilem sententiam non peccat contra votum paupertatis, a quo prohibetur acceptatio, & distributio pecuniae sine licentia superioris.

Respondeo cum Pal., Suar. loc. cit., Sal. disp. 20. sect. 2. omisso antecedente, nego consequentiam; Disparitas est, ut notat Sal. disp. 20. sect. 8., quia votum paupertatis non obligat absolute, & simpliciter ad non expendendum, sed conditionate ad non expendendum, nisi cum licentia vel expressa, vel praesumpta: Econtra lex obligat simpliciter, & absolute; ergo nisi detur actu dispensatio per actualem voluntatem Superioris exterius manifestatam, seu per ratihabitionem de praesenti, aut nisi detur locus Episcopae ratione necessitatis, dispensatio per solam ratihabitionem de futuro non est valida: Sicut non est valida collatio jurisdictionis data ad audiendas confessiones sacramentales per solam ratihabitionem de futuro; quia debet per voluntatem actualem, saltem tacitam, exterius manifestatam conferri; Ut si Praelatus videns Pe-

trum Sacerdotem accingere se ad confessiones audiendas, & illas audire, non repugnet, cum facile possit; ut communiter Doctores apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 68.: Quamvis Filliuc. tom. 1. tract. 7. cap. 9. num. 242. putet sufficere, si ex signis externis praesumatur adesse in Superiore voluntatem concedendi jurisdictionem; Quod tamen Dian. loc. cit. dicit coincidere cum ratihabitione de futuro, & esse contra communem Doctorum; licet Filliuc. pro sua sententia citet Medin., Ricard., Sylvest., Divum Bonavent., Equidem tamen puto, Filliuc. non significare iis verbis, quod satis sit ratihabitio de futuro, sed de praesenti; quia dicit satis esse, si ex signis externis praesumatur in superiore voluntas concedendi jurisdictionem, quod bene potest intelligi per ratihabitionem de praesenti, seu de tacita dispensatione.

Addit Pal. loc. cit., quod licentia non tollit obligationem legis, (sicut tollit dispensatio) nec est contra legem, aut vulnus legis, sed potius legi favet; cum sit conditio ab ipsa lege requisita, ut opus licite fiat: Sicut enim non vulneratur lex non furandi per hoc, quod Dominus consentiat, ut res sua accipiat, sed per consensum domini tollitur, & variatur materia legis de non furando; ita non vulneratur votum paupertatis per hoc, quod detur licentia ad aliquid expendendum, sed per licentiam variatur materia obligationis voti, & sic indirecte tollitur obligatio voti, posita licentia: Contra vero dispensatio est vulnus legis, & directe tollit obligationem legis. Hinc dispensatio stricte est interpretanda, atque adeo debet actu dari, & manifestari saltem tacite per ratihabitionem de praesenti, ut sit valida; nec satis est dispensatio praesumpta de futuro; sicut non satis est praecipuum praesumptum de fu-

turo, ut nunc obliget: At licentia cum non sit contra legem, vel contra votum, sed potius legi faveat, est ample interpretanda; atque adeo sufficit tam licentia præsumpta de futuro, quæ scilicet si peteretur, daretur, quam data de præsentibus: Et eodem modo, quia non est contra legem de non furando consensus domini, ut reni suam accipias, ideo satis est consensus etiam præsumptus de futuro.

Dies; hinc sequi, quod jurisdictio, quæ est facultas dicendi jus, & ample est interpretanda, concedatur etiam per voluntatem Superioris præsumptam de futuro; Sed contra est, quia ne reddantur dubii actus jurisdictio- num ex consuetudine, & consensu communi Doctorum, requiritur actualis voluntas concedendi jurisdictio- nem; Quamvis verum sit, quod late sit interpretanda; quia est beneficium Principis nulli nocens; ut est jurisdictio data Confessariis ad audiendas confessiones, quæ non nocet Episcopis, cum sit data ab Episcopis potestas absolvendi non in utilitatem propriam, sed subditorum; unde non nocet Episcopis, quod possint subditi ab aliis absolvi.

V. Rogabis; Quibusnam signis cense- ri potest Prælatum velle tacite dispensationem concedere?

Respondeo, primum signum tacite dispensationis, seu præsumptæ voluntatis dispensandi esse, si Superior concedat, vel præcipiat alicui actum, qui sine dispensatione exerceri non potest, advertens ad ejus impedimentum: Ut si Episcopus sciens, Titium esse irregularem irregularitate a se dispensabili, promoveat illum ad Ordines Sacros, vel illi dimissorias concedat; ut communiter docent cum Suar. contra Navar., & Rodriq. apud Merol. num. 162. Ratio est, quia non debet præsumi, quod Superior velit peccare promovendo ad Ordines ir-

regularem sine dispensatione.

Secundum signum tacite dispensationis est, si Prælatum videns aliquem exercere actum sibi prohibitum, & potens illum facile impedire, non impedit: Verbi gratia, si Pontifex, aut Episcopus videant irregularem accingere se ad celebrandum, & celebrare, vel habentes impedimentum a se dispensabile videant contrahere matrimonium. Ita Sal., Sanch. lib. 8. disp. 4., Azor. contra Sayr., Bonac. punct. 3. num. 18., Suar. cap. 13., & alios putantes in tali casu solam patientiam, & taciturnitatem Prælati non esse signum dispensationis, sed permissionis; Sape enim Prælatum vel sine sua culpa aliquid permittit ad vitandum majus malum, vel cum sua culpa permittit ex pusillanimitate, & negligentia, quin velit dispensare: Quamvis enim dicatur indirecte consentire, verbi gratia in homicidium, qui tenetur impedire illud, & non impedit; non tamen inde colligitur directa voluntas, qualis ad dispensandum requiritur. Hæc sunt rationes sententiæ contrariæ. Sed ratio nostræ opinionis est, quia talis taciturnitas Prælati est quædam rati habitio de præsentibus, quæ satis est ad conferendam jurisdictio- nem, ad audiendas confessiones, & ad alia exercenda, ut probat Sanch. lib. 3. de Matrim. disp. 35. num. 20., & Merol. tom. 3. disp. 7. cap. 1. ergo satis etiam erit ad dispensandum: Et ratio ulterior est, quia ad Prælatum spectat ex officio impedire delicta subditi, si facile potest; ergo cum possit dispensando obviare delicto subditi, præsumendum est, quod velit dispensare, non vero quod velit tantum permittere peccatum.

VI. Quare verum est, quod dicit Suar., solam patientiam, & taciturnitatem Prælati posse aliquando significare permissionem, non directam voluntatem ejus, quod videt facere;

At

At quando tenetur impedire malum, quod videt, & non impedit, cum facile possit, praesumendum est, quod velit directe dispensare, ne ipse peccet non impediendo peccata, sicut debet. Hinc in *in cap. final. De officio Vicarii*, dicitur, quod si Vicarius, cui prohibitum sit ab Episcopo, ne sine sua licentia conferat beneficia, adhuc beneficia conferat vidente, & non contradicente Episcopo, valida sit collatio. Similiter ex *Glof. in leg. Qui mutuum, ff. Mandat.*, Si procurator revocatus gerat negotia sciente, & patiente domino, valide agit; quia scilicet talis taciturnitas, & patientia habetur pro legitima licentia; cum paria sint, Expresse consentire, ac Praesentem esse, & non contradicere, ex *leg. 1. Cod. De relat.*, Quod si taciturnitas ista aequivaleat expressae licentiae, aequivalebit etiam expressae dispensationi, non quidem secundum se, nec praecise sumpta, sed per accidens hic, & nunc, ut excludatur peccatum Praelati, qui nisi dispensaret, peccaret non contradicendo, cum praesupponatur, quod facile possit contradicere.

Dices cum *Sal. disp. 20. sect. 9.*, Si Pontifex videat aliquos in matrimonio irrito permanere, & non contradicat ad vitandum majus malum, & scandalum, non idcirco praesumitur dispensare; ergo neque in casu nostro.

Respondeo, concessio antecedente, nego consequentiam. Disparitas est, quia in primo casu non satis est dispensatio ad validitatem matrimonii sine novo consensu contrahentium; unde dispensatio non impediret peccatum, nisi notificetur, acceptetur, & velint illi contrahere, & ideo ea non praesumitur dari. Econtra in casu nostro de se peccatum impeditur. Ita *Sanch. lib. 8. disp. 4. §. & lib. 2. disp. 38. num. 12.*

VII. Quæritur secundo, an valeat dispensatio extorta a Superiore per me-

tum gravem injuste incussum?

Respondeo cum communi apud *Sanch. lib. 3. disp. 39.* esse validam; quia metus non tollit voluntarium simpliciter; unde gesta per metum valida sunt, exceptis casibus in jure expressis: Sicut excipitur contractus matrimonialis, & Sponsalia in *cap. De iis, quæ vi*, in 6., & Absolutio ab excommunicatione, quæ invalida est, si per metum conferatur; Quod non est extendendum ad dispensationem, quæ omnino diversa est ab absolute. Docet quidem *Pont. lib. 4. cap. 6.* apud *Dian. part. 3. tract. 5. resol. 118.*, dispensationem, & privilegia metu extorta esse ipso jure irrita, non secus ac donationes, & promissiones. Immo *Sanch.*, & *Less.* apud eundem *Dian.* contra *Molin.*, & *Azor.* putant esse jure naturæ irritos contractus lucrativos donationis, & promissionis metu extortos; quia non potest acquiri jus adversum aliquem per actionem injuriosam adversus illum. Et *Rebel.* apud *Dian. loc. cit. resol. 119.* putat, etiam contractus onerosos metu extortos esse jure naturæ irritos, ut venditiones, &c. Sed opinio contraria est communior, quia matrimonium jure naturæ est validum, quamvis metu extortum; & universim metus sicut non tollit absolute libertatem ad peccandum, ita neque ad contrahendum: Quare quilibet contractus, & dispensatio ipsa, valida sunt, licet metu extorta, nisi jure positivo irritentur.

VIII. Quæritur tertio, An valida sit dispensatio extorta per mendacia, & dolum; qui contingere solet, non solum narrando falsum, seu mentiendo, sed etiam tacendo veritatem?

Respondeo, quod si dolus, & mendacia versentur circa causam finalem, dispensatio sic extorta erit nulla; quia non praesumitur, quod Superior habeat voluntatem dispensandi, nisi sub-

stent-

sistente causa finali, seu motiva; Si vero dolus, & mendacia versentur circa causam dispensationis impulsivam, dispensatio erit valida; quia subsistit tunc causa finalis dispensationis. Ita communiter docent in materia de Contractibus cum Sanch. lib. 4. cap. 7., Bonac. hic punct. 7., Suar. de Voto lib. 6. cap. 27. Tunc autem dolus dicitur esse circa causam finalem, quando dispensans non concessisset dispensationem, si cognovisset talem causam non subsistere, & ideo talis dispensatio dicitur surreptitia per taciturnitatem veri, vel obreptitia per expressionem falsi in cap. *Postulastis*, *De Rescriptis*: Contra dicitur dolus esse circa causam impulsivam, quando dispensans, si cognovisset talem causam non subsistere, adhuc dispensationem concessisset, quamvis non ita facile. In dubio autem, utrum causa dispensationis falso adducta fuerit finalis, an impulsiva, praesumendum est esse impulsivam, atque adeo dispensationem valere ex praesumptione juris; quia jura maxime favent valori actus, ut magis valeat, quam pereat. Ita Bonac., Sanch. lib. 4. cap. 44., & lib. 8. de Matrim. disp. 21., Sal. disp. 20. sect. 15. contra Molin. disp. 173., & Ledesm. cap. 27. de Matrim. apud Tambur. lib. 1. cap. 3. §. 7. V. *Dispensatio*, & Dian. part. 4. resol. 45. putantes in tali dubio causam praesumendam esse finalem, atque adeo irritam esse dispensationem; quia impedimentum est certum, dispensatio incerta: Sed contra est, quia jurisdictio ad dispensandum est certa, & datur actu dispensatio: ergo non est reputanda dispensatio invalida ex dubio, quod causa non sit sufficiens.

IX. Notandum hic, dari rescriptum gratiae, & justitiae; Rescriptum gratiae dicitur, quod continet gratiam, verbi gratia, dispensationem, facultatem dispensandi, praesentationem, collatio-

nem beneficii, &c.: Rescriptum vero justitiae dicitur, quod dat jurisdictionem ad lites; ut probat Menoch. lib. 2. casu 201. apud Pal. punct. 16., Illud autem est discrimen inter haec rescripta, quod Rescriptum gratiae est ipso jure irritum, si obtentum sit per surreptionem, seu per taciturnitatem veri, aut expressionem falsi. Contra vero rescriptum justitiae sic obtentum non est irritum, sed irritandum ope exceptionis; Quare quousque excipiat, est validum, ex cap. *Si autem*, *de Rescriptis* apud Pal. loc. cit., & Sanch. lib. 8. disp. 121. Ratio disparitatis est, quia rescriptum gratiae tribuit jus; at rescriptum justitiae, seu literae ad lites tribuunt judicem, non jus; unde majoris praesudicii est rescriptum gratiae, & ideo facilius inficiatur.

X. Notandum secundo, quod non solum mendacia, & dolus reddant surreptitiam, & irritam dispensationem, sed etiam error, & ignorantia dispensantis circa causam finalem dispensationis; si scilicet bona fide, & sine culpa taceatur verum, aut exprimat falsum pertinens ad causam finalem, ut mox dicemus: Et ratio est eadem, quia deficit voluntas dispensandi, posito tali errore; semper enim subintelligitur illa conditio in concessione dispensationis, si scilicet preces veritati nitantur. Surreptitiam etiam reddit dispensationem deceptio commissa circa materiam substantialem; Quare si petas, verbi gratia, dispensationem in voto castitatis, & tu habeas votum Religionis; aut si petas dispensationem in voto non nubendi, & habeas votum castitatis; aut si petas dispensationem voti dubii, cum tamen habeas certum, dispensationes istae corruunt, quia sunt circa materiam diversam.

XI. Quæritur quarto; Quanam debeant exprimi in petitione dispensationis,

nis, ne dispensatio concessa sit surreptitia?

Respondeo, varias in hoc esse sententias apud Sanch. lib. 8. disp. 21., Pal. punct. 16., & Merol. num. 343. Prima sententia docet, tunc esse surreptitiam dispensationem, quando taceatur veritas, aut exprimitur falsitas spectans ad causam finalem, qua scilicet cognita dispensatio non concederetur. Secunda sententia docet, esse surreptitiam, si taceatur veritas, aut exprimitur falsitas non solum spectans ad causam finalem, seu motivam, sed etiam ad impulsivam, qua scilicet cognita, licet concederetur etiam dispensatio, at non eadem facilitate. Tertia sententia (quam probabilior putant Sanch., Pal., Suar. lib. 6. de voto cap. 127., Sal. disp. 20. sect. 15.) est, si supprimatur veritas illa, quae jure debebat exprimi, aut si exprimitur falsitas, quae jure debebat taceri. Ratio est, quia plura sunt, quae si exprimerentur, non solum retardarent, sed etiam simpliciter impedirent dispensationem, puta, quod dispensatus sit vitiosus, sit inimicus dispensantis, &c., & tamen dispensatio cum tali suppressione veritatis non est surreptitia; Et hoc ideo, quia jure non mandatur, ut haec exprimantur: Eodem modo plura sunt falso expressa, quae ita impellunt superiorem ad concedendam dispensationem, ut si non exprimerentur, talis dispensatio non concederetur; puta si falso dicatur, quod dispensandus sit vir doctus, sit Sacerdos, &c.; & tamen hujus falsitatis expressio, quia non cavetur a jure, non annullat rescriptum, ut ex communi sententia docent Doctores: Quare pro regula statuunt, illius veritatis suppressionem reddere surreptitium rescriptum, quae jure mandatur exprimi; Et similiter illius falsitatis expressionem, a qua movetur superior ad rescriptum concedendum,

ita ut jure cautum sit, quod ea expressa, gratiam Superior non concedat: Intelligitur autem nomine juris tam jus scriptum, quam consuetudo, & stylus Superioris concedentis rescriptum. Ratio primae partis est, quia quoties jus praescribit aliquid exprimi, intelligitur illud exostulare pro forma: Et ratio secundae partis est, tum quia si falso allegatur causa, quae movet Superiorem ad rescriptum concedendum, praeter voluntatem Superioris illud conceditur; tum etiam quia omne rescriptum habet subintellectam conditionem illam, Si preces veritati nitantur.

XII. Rogabis hic primo, quanam sint illa, quae jure, & consuetudine debent exprimi in dispensationibus obtinendis, itaut eorum taciturnitas vitiet rescriptum?

Respondeo praescindendo ab iis, quae specialiter debent exprimi pro dispensatione in irregularitate, in impedimentis matrimonii, in censuris, &c., quae in proprio loco examinantur, loquendo solum de iis, quae in omni dispensatione exprimenda sunt.

Dico primo cum communi contra Navar., Bonac., Merol. num. 460., & Sa apud Sanch. lib. 8. disp. 23., & Pal. punct. 8. Qui duplex habet impedimentum, verbi gratia, castitatis, & consanguinitatis, aut affinitatis, vel duplicem irregularitatem, non potest per partes horum dispensationem impetrare, quin faciat in dispensatione mentionem omnium impedimentorum. Ratio est, quia ea est praxis, & consuetudo fundata in hoc, quod difficilius est dispensatio in pluribus impedimentis simul relate ad eandem personam, quam seorsim. Haec tamen doctrina patitur multas exceptiones, quas notant Bonac., & Pal.; Nam, exempli gratia, certum est, non esse id opus in excommunicationibus, ex cap. *Ex parte*, *De Offic. Ordin.*, cum possit

possit ligatus pluribus excommunicationibus petere absolutionem ab una, non facta mentione aliarum; Et idem circa irregularitates putat dicendum Suar. contra Pont., & Pal. loc. cit.

Dico secundo cum communi contra Menoch. apud Bonac. punct. 7.: Valida est dispensatio, quam quis obtinet, etiam si non exprimat illam prius petiisse, & non obtinuisse. Ratio est, quia nec jure, nec consuetudine requiritur talis expressio. Idque verum est, etiam si dispensatio negata fuerit a superiore, verbi gratia a Pontifice, & deinde petatur ab inferiore, puta ab Episcopo, qui potest illam concedere; ut docent Suar., Sal., Sanch., Bonac. loc. cit. Neque dicas, taciturnitatem istam versari circa causam finalem, quia non concederetur dispensatio, si sciretur prior denegatio. Nam hoc est falsum; Cum enim revera adsit causa iusta dispensationis, presumendum, quod si Superior recordaretur denegationis prateritæ, vellet potius rigorem mitigare, ut iidem Doctores docent contra Menoch.

XIII. Rogabis secundo, An corruat dispensatio, quando pro ea obtinenda plures causæ allegantur, quarum aliqua tantum sit falsa?

Respondeo cum Pal. loc. cit., Sanch. lib. 8. disp. 21., Suar., quod si causa vera secundum stylum, & consuetudinem solet reputari sufficiens ad dispensationem concedendam, admixtio causæ falsæ non reddat dispensationem invalidam; secus vero si non sit sufficiens; aut si sit quidem sufficiens, sed non soleat movere Superiorem ad concedendam dispensationem, ut notat Guttier. apud eundem Pal.; quia tunc ignoratur, num Superior concesserit dispensationem ratione solius causæ veræ, an ratione utriusque simul, veræ simul, & falsæ: In dubio autem, an causa falso allegata fuerit motiva, & finalis, præsu-

Pars I.

endum est, dispensationem esse validam, quia in dubio stat semper præsumptio pro valore actus, ex leg. *Quoties*, ff. *De rebus dubiis*.

XIV. Rogabis tertio, num quando surreptio est in aliqua tantum parte rescripti, sit solum illa pars rescripti nulla, an vero totum rescriptum sit nullum: Verbi gratia, si impetrasti dispensationem tam in voto, quam in impedimento affinitatis, ut possis contrahere matrimonium, & allegasti veram causam pro voto, falsam vero pro impedimento affinitatis, eritne dispensatio invalida etiam pro voto, an solum pro impedimento affinitatis, unde possis aliam ducere non affinem?

Respondeo cum Sanch., Pal. loc. cit., & aliis communiter distinguendo; nam si per ignorantiam, & simplicitatem etiam culpabilem, dummodo non fuerit crassa, id feceris, valida erit pars illa rescripti, pro qua allegata fuit causa vera. Quod si id feceris malitiose, totum rescriptum erit nullum, ut deciditur expresse in cap. *Super literis*, *De Rescriptis*, ubi dicitur: *In sua perversitatis pœnam nullum ex illis literis commodum consequantur*. Notat tamen Sanch., quod quia talis annullatio est pœna, ideo ut incurratur, opus est sententia saltem declaratoria criminis; unde sensus talis textus est, quod dispensatio, seu rescriptum careat effectu, & nullum commodum ex eo obtineatur, postquam crimen est declaratum; & per consequens ante talem declarationem dispensatio erit ipso jure valida quoad illam partem, pro qua allegata fuit causa vera.

Z

AR.

ARTICULUS VI.

Quomodo cesset, & vim suam amittat dispensatio?

- I. Num cessante causa dispensationis jam obienta cesset dispensatio?
- II. Quando nam dispensatus uiri potest dispensatione etiam extra territorium Prælati dispensantis?
- III. Quanam dispensatio, aut gratia expiret morte concedentis?
- IV. Quousque duret gratia concessa ad beneplacitum?
- V. Dispensatio cessat per revocationem, antequam eius effectus adimpleatur. Dispensatio tamen in lege Superioris data ex iusta causa invalide revocatur: Sicut invalide revocatur dispensatio in voto.
- VI. Cessat dispensatio per hoc, quod illi renunciatur, dummodo dispensans in lege renunciationem accipiet.
- VII. Dispensatio tamen in voto, & iuramento amittit vim suam per renunciationem, etiam præcisa acceptatione dispensantis.
- VIII. Qui dispensationi, aut commutationi voti renunciavit, num possit, mutata voluntate, dispensatione, aut commutatione obienta uiri?
- IX. Nec dispensatio, nec privilegium, quod non cedit in gravamen aliorum, amittitur per non usum; Secus vero si privilegium cedat in aliorum gravamen.
- X. Dispensatio sine limitatione concessa universim per primum actum non finitur.
- XI. Tunc dispensatio post primum actum cessat, quando causa dispensationis non remanet etiam ad secundam vicem.

I. **M**ultifariam id contingere potest, Primo cessatione causæ; Secundo si extra territorium conce-

dentis dispensationem habeat dispensatus. Tertio morte concedentis. Quarto renunciatione. Quinto revocatione. Demum primo actu, ut mox examinabimus.

Quæritur itaque primo, An cesset dispensatio per hoc, quod cesset causa, ob quam fuerat concessa?

Respondeo, certum esse, quod si causa exposita ad dispensationem obtinendam cesset, antequam Superior det inferiori, verbi gratia Papa Episcopo, vel Confessario, mandatum, seu facultatem ad dispensandum, dispensatio est nulla; Sicut etiam si cesset causa, antequam dispensatio concedatur. Ratio utriusque est, quia & mandatum ad dispensandum, & ipsa dispensatio conceduntur sub ea tacita conditione, si preces veritati nitantur; Unde si Titius petat, verbi gratia, dispensationem in irregularitate, ut possit ad Ordines promoveri, propter paupertatem parentum, & interim parentes ad pinguiorem fortunam deveniant, antequam Papa det Episcopo facultatem dispensandi, vel antequam ipsa dispensatio conferatur, irrita erit huiusmodi dispensatio, si forte illam Titius obtineat. Quare in eo dumtaxat est difficultas, an si cesset causa finalis dispensationis post obtentam valide dispensationem, sed antequam executioni mandetur, cesset etiam dispensatio. Negant cessare dispensationem, cessante eius causa finali, Suar. lib. 35. de lege cap. 30., Guttier., Sylvest., & alii apud Sanchez. lib. 8. disp. 30., quorum doctrinam ipse ut probabilem admittit; quia obligatio legis per dispensationem extinguitur; ergo non potest per cessationem causæ reviviscere, cum cessatio causæ non sit de se productiva obligationis. Hinc docent, quod dispensatus ad anticipandum, verbi gratia, matutinum propter nimiam occupationem alicujus muneris, possit tali

dis-

dispensatione uti, etiam si tale munus relinquat, dummodo dispensatio non fuerit concessa expresse pro tempore, quo tali munere fungatur; Et si concedatur foeminae dispensatio in voto castitatis propter periculum incontinentiae, poterit post viduitatem, & post cessationem talis periculi iterum nubere; Pariter si habenti duo beneficia concedatur dispensatio, ut possit tertium consequi, quia illa duo non sufficiunt ad congruam sustentationem, si interim crescant, & sufficiant, non proinde cessabit dispensatio: Sicut etiam si concedatur Monasterio dispensatio, seu privilegium non solvendi decimas propter indigentiam, non cessat dispensatio, si deinde non indigeat.

Communior tamen sententia cum Bonac., Sanch., Con., Merol. num. 331. docet, cessante causa finali dispensationis, cessare dispensationem; sicut cessante causa finali legis in universum, cessat obligatio legis: Nam valor dispensationis, sicut & legis, pendet in fieri, & conservari a sua causa finali. Quod confirmatur, quia absurdum videtur, quod dispensatus ad vescendum carnibus propter debilitatem, si perfecte convalescat, etiam si miraculose, possit vesci carnibus; Hoc autem argumentum non solum est efficax, si dispensatio tractum successivum habeat, verbi gratia ad edendas carnes tempore Quadragesimae; (in quo casu concedit ipse Suar. esse mortale comedere carnes, & Merol. improbabilem opinatur sententiam Sal. & Granad. putantium esse tantum veniale) sed etiam si effectum habeat momentaneum, verbi gratia, si quis dispensetur ad edendas carnes pro unico die propter infirmitatem dubiam, quae independenter a dispensatione non exolet, & interim mane miraculose convalescat; ut docet Laym. tract. 4. cap. 22. Ad rationes itaque

in contrarium respondetur, cessante causa dispensationis, reviviscere obligationem, quia dispensatio, seu exemptio ab obligatione pendet in fieri, & conservari a causa finali dispensationis. Nec per hoc sequitur, quod dispensatio sit conditionalis; quia talis conditio tacite inest, & conditiones, quae tacite insunt, & semper subintelliguntur, non reddunt actum conditionalem; Sicut lex non est conditionalis, quamvis non obliget cessante in universum sua causa finali; Nec est conditionalis absolutio sacramentalis, quamvis non conferatur nisi poenitenti disposito. Hinc ad illa exempla a Suar. adducta respondetur, omnes illas dispensationes cessare, si cesset causa finalis illarum. Et ratio a priori est, quia illicita est dispensatio, pro quando non habetur causa dispensationis; Unde non est praesumendum, quod Superior velit pro tali tempore dispensare. Potest quidem aliquando Superior absolute dispensare, ita ut valeat dispensatio, etiam si cesset causa dispensationis; sed hoc non est praesumendum, nisi id Superior explicet.

II. Quæritur secundo, an dispensatio, & aliae licentiae expirent, si dispensatus discedat extra locum, seu territorium concedentis: Verbi gratia, si Episcopus det alicui facultatem comedendi carnes diebus prohibitis, vel laborandi diebus festis, vel legendi libros prohibitos, poteritne iste uti hac dispensatione extra Diocesim talis Episcopi?

Respondeo, vel loquimur de dispensatione, aut licentia in iis, quae jure communi sunt prohibita, vel in iis, quae sunt prohibita jure speciali, ita ut indigeant speciali licentia Superioris loci, ut licite fiant: Si in his dispensatio concedatur, non licet tali dispensatione, vel licentia uti extra territorium concedentis; Verbi gratia,

tia, si quis habeat ab Episcopo licentiam faciendi Sacrum, & ministrandi Sacramenta in toto suo Episcopatu, non potest ea licentia uti extra Episcopatum; quia privata jurisdictio non extenditur extra alienum territorium: Si vero concedatur dispensatio in iis, quæ jure communi sunt prohibita, probabilius est ex Sanch. lib. 8. disp. 31., Suar. lib. 8. de Legibus c. 26., Azor. lib. 5. cap. 23. quest. 6., Merol. num. 465., quod possit talis dispensatio prodesse extra territorium concedentis, nisi ex speciali ratione ad locum limitetur. Ratio est, quia per dispensationem sublata fuit simpliciter obligatio, unde pro quocumque loco potest dispensatio prodesse. Quare dispensatus a suo Episcopo in irregularitate occulta poterit ubique ministrare, & Legatus Pontificis, quamvis non possit cum suis non subditis dispensare, si tamen cum aliquo subdito dispense ad plura Beneficia, poterit hic illa obtinere extra territorium legationis; quia talisabilitas ad plura beneficia incedit cum ipsa persona: Quare idem dicas, si Legatus det licentiam expendendi alicui Religioso, quia debeat illam manifestare Superiori loci; Et idem dicas de marito, cui dispensatum est ab Episcopo ad petendum debitum, &c. Notat tamen Suar., quod si Episcopus dispense contra jus commune per generalem dispensationem pro aliquo loco ex speciali necessitate, (verbi gratia, ut comedant lactinia diebus prohibitis propter distantiam a mari) non poterunt incolæ talis loci extra illum locum uti tali dispensatione; quia cessat ratio dispensationis extra talem locum, nec dispensatio incedit cum persona, sed veluti loco adhæret: contra vero si dispensatio sit personalis, ut videtur usus has dispensationes interpretari. Addunt Suar., Sal., Bonac., probabile etiam esse, quod si

dispensatio data sit ex legitima causa, verbi gratia pro omnibus jejuniis, excusetur dispensatus etiam a jejuniis præceptis a Pralato alterius loci; quia non est verisimile, quod alter Prælatus velit obligare personam ex legitima causa dispensatam ad omnia alia jejunia; nisi forte alter Prælatus nolit, quod aliquis his dispensationibus utatur sine sua ratihabitione, & notitia ad vitandum scandalum.

III. Queritur tertio, an dispensatio obtenta cesset per mortem concedentis?

Respondeo cum communi negative; quia dispensatio, sicut & privilegium, est gratia, & gratia jam facta non amittitur morte concedentis. Hic autem notandum, aliam esse gratiam, quæ dicitur facta, & hæc conceditur alicui perfecte independenter ab alio; ut quando Pontifex dispense alicui in voto, juramento, irregularitate, &c., aut quando concedit alicui facultatem dispensandi, absolvendi, &c. in gratiam ejus, qui debet dispensare, absolvere, &c. Aliam vero esse gratiam, quæ dicitur faciendâ, & hæc non conceditur perfecte ei, in cujus favorem datur, sed dependenter ab alio; ut si in favorem determinatæ personæ, cum qua dispensandum est, detur Confessorio potestas dispensandi cum illa. Quando autem gratia concessa est facta, non expirat morte concedentis, etiam si tunc non sit adhuc acceptata; quando tamen est faciendâ, morte concedentis expirat, si res sit integra; secus vero si res non sit integra; puta si aliquis actus judicialis relate ad talem gratiam sit inceptus, aut si confessio ejus, qui absolvi debet, sit jam incepta; ut communiter docent ex cap. *Si cui nulla*, de Præbendis in 6. apud Sanch. lib. 8. disp. 28.

Infertur hinc primo, quod facultas delegata audiendi confessiones non expiret

piret mortuo Episcopo concedente, vel si ab Episcopatu amoveatur, ut communiter docent contra Paludan., & Divum Anton. apud Merol. num. 493., quia est gratia facta. Et quamvis concedatur in favorem pœnitentium, quia tamen non conceditur in favorem alicujus pœnitentis determinati, censetur potius concessa in favorem Sacerdotis, & sic non expirat morte concedentis; Sicut non expirat potestas dispensandi cum personis indeterminatis. Neque dicas, potestatem jurisdictionis delegatam expirare morte concedentis re integra, ex cap. *Gratum*, de *Officio Delegati*. Nam ibi sermo est de potestate jurisdictionis delegatæ contentiosæ, quæ computatur inter literas, seu rescripta justitiæ, non de potestate jurisdictionis delegatæ voluntariæ, qualis est ista ad audiendas confessiones, quæ computatur inter literas, seu rescripta gratiæ: Ideo autem jurisdictio delegata contentiosa expirat morte concedentis re integra, quia Delegatus censetur una persona cum delegante, & ideo non convenit, ut mortuo delegante perseveret jurisdictio in delegato: Contra vero jurisdictio delegata voluntaria, quia est mera gratia facta, non debet morte concedentis perire.

Infertur secundo, quod facultas data alicui, ut possit sibi confessarium eligere, nec expiret per mortem concedentis, aut per ejus amotionem ab officio, ut communiter docent contra Tabien., Sylvest., Angel. apud Merol. num. 499., quia est gratia facta, cum perfecte concedatur ei, in cujus favorem conceditur; diximus enim tunc gratiam esse faciendam, quando concederetur alicui Sacerdoti facultas absolvendi Titium in favorem ipsius Titii; tunc enim Titius habet hanc gratiam dependentem a Confessario determinato illi faciendam:

At quod Titius possit eligere confessarium, non est gratia facienda Titio dependentem a Confessario, quamvis absolutio a Confessario concedenda sit, quia independentem a quocumque Confessario determinato potest eligere Sacerdotem, a quo absolvatur. Notandum tamen, quod qui potest Confessarium eligere sibi, debet eligere Confessarium approbatum ab Ordinario suo, juxta formam Trident. sess. 23. cap. 15., ut notat Suar. de Pœnit. disp. 28. sect. 4. num. 9.

Infertur tertio, quod si alicui concedatur facultas dispensandi cum personis indeterminatis, hæc non expirat morte concedentis, quia est gratia facta; secus vero si concedatur facultas dispensandi cum persona determinata; quia est gratia facienda respectu ejus, cum quo dispensandum est, in cujus favorem datur facultas. Notat tamen Sanch. num. 81., quod si hæc facultas detur in favorem utriusque, censenda sit gratia facta; atque adeo non expirat morte concedentis: In dubio tamen, an in favorem etiam dispensaturi concessa sit, præsumendum, quod non; Et ratio est, quia fere semper conceditur in favorem ejus, cum quo dispensandum est. Ita communiter contra Pal. de privileg. punct. 16. §. 4. num. 5.; quia fit gratia ista etiam dispensanti per hoc, quod eligatur ut magis idoneus ad illam dispensationem concedendam.

Infertur quarto, literas dimissorias ad Ordines suscipiendos, & facultatem alicui a Rege concessam instituendi majoratum, non expirare morte concedentis, quia sunt gratiæ factæ. Idem dicas de licentia non residendi concessa ab Episcopo Clericis beneficiatis causa studii, de licentia edendi carnes diebus prohibitis, de licentia prædicandi, celebrandi in Oratorio privato, & similibus.

Infertur quinto, quod Commissiones dis-

dispensandi in impedimentis matrimonii, vel in irregularitate, vel in similibus, quæ in foro externo committuntur Ordinariis, & in interno Confessariis, non expirent morte concedentis; ut communiter docent contra Navar., Ugol., Guttier. apud Merol. num. 511.; Ratio est, quia sunt gratiæ factæ, dum executor est necessarius, & committitur, ut dispense: Tunc essent gratiæ faciendæ, quando executor esset voluntarius, & committeretur ei, ut posset dispensare cum persona determinata in favorem illius.

Inferitur sexto, privilegia Bullæ Cruciatæ non expirent morte Papæ, non solum loquendo de indulgentiis concessis visitantibus Altaria, & de facultate comedendi lactinia, & similibus, quæ a nullius executione pendent, sed etiam loquendo de indulgentiis semel in vita, & semel in morte per Confessarium concedendis, de absolutione a reservatis, commutatione votorum, &c.; ut communiter docent; quia sunt gratiæ factæ, ut diximus in illatione tertia, esse gratiam factam facultatem datam alicui eligendi sibi Confessarium.

IV. Præterea gratia concessa, verbi gratia per annum, durat per annum, etiam si concedens ante annum moriatur; gratia etiam concessa ad beneplacitum sedis durat mortuo Episcopo, vel Papa: Contra vero si dicatur, quod duret ad beneplacitum personæ concedentis, seu donec voluerit; quia ea mortua nulla erit ejus voluntas; Quamvis aliqui putent in gratiis favorabilibus, puta absolventi, dispensandi, idem significare, Donec voluero, ac Donec revocavero, seu Donec placuerit Sedi nostræ, quæ nunquam expirat; non tamen in gratiis ambitiosis, puta retinendi plura beneficia. Sed communius cum Sanch., & Suar. contra eos,

quos referam cum de approbatione Confessarii, negant; unde docent communius, omnem gratiam concessam ad beneplacitum expirare morte concedentis.

V. Quæritur quarto, An dispensatio cesset per revocationem?

Respondeo cum communi, vim suam illam amittere, si revocetur, antequam adimpleatur ejus effectus; quia vim habet a voluntate dispensantis, donec executioni mandetur. Notandum hic, Superiorem valide, & illicite sine causa revocare dispensationem in lege sua; Dispensationem vero in lege Superioris ex justa causa datam invalide simul, & illicite sine causa revocari, juxta dicta de dispensatione data in lege propria, & in lege superioris. Dispensatio tamen in voto revocari nullatenus potest; quia cum vinculum voti non pendeat a voluntate Superioris humani, nec potest ab eo induci. Ita Suar. lib. 8. cap. 37., & Bonac. punct. 10.

VI. Quæritur quinto, An cesset dispensatio per renunciationem?

Respondeo cum Suar., Sal., Sanch., Bonac. punct. 10.; tunc dispensationem vim suam amittere per renunciationem, quando nondum est executioni mandata, & renunciatio acceptata est a dispensante: Quod si quis renunciaverit dispensationi obtenta, sed renunciatio non sit adhuc acceptata a dispensante, poterit ille mutata voluntate uti dispensatione, quia per renunciationem non acceptatam a dispensante nondum abdicavit a se jus suum, atque adeo dispensatio vires suas non amisit.

VII. Notandum tamen, hanc doctrinam a Sanch. lib. 8. disp. 32. admitti solum in dispensatione legum, non vero in dispensatione voti, juramenti, &c.; docet enim, istorum dispensationem amittere vim suam præcisè per renunciationem illius, nec requiri,

ri, quod renunciatio acceptetur a dispensante: Et disparitatem assignat, quia obligatio legis pendet a voluntate Legislatoris; & ideo si non acceptet Legislator renunciationem dispensationis, adhuc dispensatio vim suam habet, cum non possit aliquis obligari a Superiore, qui non vult obligare; Contra vero obligatio voti ortum habet a voluntate votentis, & ideo præcise per renunciationem dispensationis votum iterum obligat, quia præsumitur, quod votens renunciando dispensationi velit iterum vovere, seu obligationem voti sibi imponere; nisi aliter constet de mente ipsius: Hoc tamen intelligit, si dispensatio voti fuerit jam perfecta, & executioni mandata, & deinde successerit renunciatio; Quod si prius quam executioni mandetur dispensatio, votens illi renunciaverit, immo si votum ipsum expresse iterum renovaverit, adhuc potest illam dispensationem recipere, cum possit eadem dispensatione idem votum sæpius repetitum auferri: Verbi gratia, si Episcopus, vel Papa commiserit Confessario dispensationem voti, & antequam Confessarius dispense, Titius renunciet dispensationi, & votum repetat, poterit retractata voluntate recipere dispensationem, & ea uti.

VIII. Ex hac doctrina infert Sanch., quod licet possit votens, cui votum commutatum est, propria auctoritate ad prius votum redire renunciando commutationi obtentæ; at post renunciationem commutationis non potest iterum commutatione uti; quia renunciatio commutationis æquivalet repetitioni voti.

Sed quamvis ista doctrina suam habeat probabilitatem, probabiliorem tamen puto sententiam Merol. num. 483. docentis oppositum; quod scilicet qui renunciavit dispensationi, & commutationi voti, adhuc possit retra-

ctata renunciatione uti dispensatione, & commutatione obtenta: Ratio est, quia renunciatio dispensationis, vel commutationis obtentæ non est censenda renovatio prioris voti, sed solum propositum non utendi ea dispensatione, aut commutatione; nam in dubio semper ita interpretanda est, ut sit simplex nolitio dispensationis, vel commutationis per modum propositi non utendi illa, & non intentio iterum se obligandi per modum renovationis prioris voti, nisi aliud evidenter constet de intentione renunciantis; quia nunquam præsumitur obligatio, nisi de illa constet manifeste, & quia ex communi usu non aliter habetur hic affectus renunciantis dispensationi, aut commutationi. Unde fit, quod possit votens retractata renunciatione uti eadem dispensatione, aut commutatione, antequam renunciatio acceptetur ab eo, qui Dei nomine dispensavit, aut commutavit.

Neque dicas primo: Quod semel ab aliquo repudiatum est, reintegrari ab eodem non potest, ex leg. *fin. Cod. de Condit. inferr.* Nam id intelligendum est, si repudiatio sit perfecta, & consummata, seu acceptata a Superiore.

IX. Neque dicas secundo, privilegium amitti per non usum, quia est tacita ejus renunciatio; ergo renunciatio expressa dispensationis a fortiori tollit vim dispensationi. Nam privilegium, quod non cedit in gravamen aliorum, sed est specialis favor privilegiarii circa actiones suas non amittitur per non usum; & consequenter nec dispensatio: Privilegium autem, quod cedit in gravamen aliorum, amittitur per non usum, quia alii præscribunt adversus privilegiatum, ut notat Pal. disp. 4. punct. 18.

X. Quæritur ultimo, An dispensatio concessa per primum actum finiat; tur;

tur? Exempli gratia, an habens votum castitatis, si dispensationem obtinuit ad contrahendum matrimonium, possit mortua prima conjugē aliud matrimonium contrahere?

Respondeo, universim dispensationem absolute, & sine limitatione concessam primo actu non finiri; Ita communiter contra nonnullos apud Sal. lib. 8. disp. 31. Ratio est, tum quia verba non sunt restringenda, juxta proprietatem suam naturalem accepta; tum quia Superior quando vult ad unum casum dispensationem dare, ipsum exprimit: Unde dispensatus absolute ad non jejunandum non censetur ad unum tantum jejunium dispensatus; & dispensatus in voto castitatis potest successive plura matrimonia contrahere, dummodo causa dispensationis perseveret, & Superior non aliud expresserit; quia dispensatio est absolute concessa ad contrahendum matrimonium. Si tamen pro causa dispensationis allegatus fuit, verbi gratia, niutuus inter contrahentes concubitus, vel stimuli carnis, qui non amplius deinde perseverent, non potest soluto uno matrimonio aliud contrahi.

Dices: Dispensatio est res odiosa, cum sit vulnus legis, & juri contraria: ergo stricte explicanda est, & consequenter non extendenda ultra primum actum. Respondeo nego consequentiam; ex eo enim, quod stricte explicanda sit, sequitur tantum, quod non sit extendenda ultra proprietatem naturalem verborum. Quare si concedatur absolute, non finitur primo actu, quia propria verborum significatio non fert, quod ad solum primum actum extendatur.

XI. Dices secundo: in leg. Boves, §. hoc sermone, ff. De verbor. signif. deciditur, sermonem simpliciter prolatum intelligi solum de prima vice. Respondeo, id esse verum, quando

causa dispensationis non manet etiam ad secundam vicem; aliter verba restringuntur in sua significatione naturali sine causa, seu sine qualitate dante causam restrictioni, ut explicabimus articulo sequenti.

ARTICULUS VII.

Quomodo dispensatio, & potestas dispensandi interpretanda sit?

- I. Dispensatio, quamvis sit Principis beneficium, stricte est interpretanda, utpote contra jus commune.
- II. In pluribus tamen casibus dispensatio latam habet interpretationem; praesertim si motu proprio Principis concessa sit, aut sit inserta in corpore juris; Aut si alicui Communitati concedatur.
- III. Similiter qua fiunt ob publicam necessitatem, aut utilitatem.
- IV. Dispensatio ad Ordines num se extendat ad Ordines Sacros? Et dispensatio ad beneficium num se extendat ad Curatum, & ad Dignitates.
- V. Dispensatio ad matrimonium in gradibus consanguinitatis interpretanda juxta jus commune, unde facta in tertio gradu extenditur ad secundum cum tertio.
- VI. Dispensatio non est ita restringenda, ut reddatur illusoria, nec se extendat ad necessario connexa.
- VII. Num Subdiaconus dispensatus ad uxorem ducendam dispensetur etiam relate ad Horarum recitationem?
- VIII. An dispensatio extendatur de casu ad casum, in quo sit vel eadem, vel major ratio?
- IX. Dispensandi potestas late est interpretanda, nisi vergat in praesudicium Tertii, Idemque dicendum de Privilegio.
- X. In dubio, an potestas dispensandi, aut.

aut privilegium sine revocata, licitum est iis iuri; si tamen deinde deprehendatur fuisse revocata, irrita censenda est dispensatio.

XI. Cur Episcopus valide commutet votum in dubio an sit reservatum, etiamsi deinde deprehendatur esse revocatum, contra vero habens facultatem delegatam commutandi vota, aut dispensandi, in dubio an ea potestas fuerit revocata, licite quidem ea utatur, sed irrita sit dispensatio, si deprehendatur fuisse revocata?

XII. Num valida censenda sit dispensatio in dubio de eius valore?

XIII. Quid si post dispensationem obtentam dubitetur, an Prælati poterit dispensare?

I. **P**lurimæ quæstiones ex doctrina in hoc articulo danda decideri debent; ideo prius de dispensatione, deinde de dispensandi potestate inquirimus, quomodo interpretanda sint?

Quæritur itaque primo, strictene, an ample interpretanda sit dispensatio?

Respondeo, certum esse, quod dispensatio stricte interpretanda sit, unde si aliquid operetur juxta proprietatem naturalem verborum, non est amplius extendenda. Ratio est, quia dispensatio exorbitat a jure communi, & ideo tanquam odiosa restringenda est; Si enim lex ipsa, quæ corrigit jus commune, tanquam odiosa restringenda est, ex Reg. *Quæ a jure, De regul. juris in 6.*, a fortiori dispensatio, quæ vulnerat jus commune; Unde in dubio an dispensatio ad aliquem casum se extendat, interpretandum est, non extendi. Neque obstat, quod dispensatio sit Principis beneficium, & beneficium Principis latissime interpretandum sit, ex leg. *Beneficium, De constitut. Principis.* Nam

Pars I.

hoc est verum, quando beneficium Principis non est contra jus commune, ut est dispensatio, sed præter illud; Sicut nec quando est in præjudicium aliorum.

II. Tunc dispensatio habet latam interpretationem, quando motu proprio, & non ad instantiam Partis a Principe conceditur; quia tunc est magis voluntaria, quam si ad instantiam Partis concederetur. Privilegium vero, quando est præter jus, etiamsi ad instantiam partis concedatur, late interpretandum est; & si motu proprio concedatur, interpretandum est latissime; ut notat Merol. num. 6. contra Sanch., qui putat latissime interpretandum, etiamsi ad instantiam Partis concedatur, hoc est ultra quam patitur naturalis verborum significatio.

In pluribus itaque casibus dispensatio habet latam interpretationem; Primo, ut diximus, si motu proprio a Principe concedatur, quia tunc dicitur aliquo modo beneficium Principis, ac omni ambitione vacans, ex cap. *Si motu proprio, de præbendis in 6.* Notat tamen Merol., & alii communiter, quod si in literis dispensationis dicat Princeps, se motu proprio illam concedere, ample interpretanda sit, quamvis constet eam ab impetrante petitam esse; quia Princeps illis verbis significat, se non illa petitione, sed proprio motu ductum concessisse.

Secundo late interpretanda est dispensatio, si sit in corpore juris clausa; quia tunc præsumitur motu proprio concessa, & habet vim legis, quæ extendi potest ad omnem casum, in quo vel eadem, vel similis ratio legis reperitur, ut notat Felin. apud Merol. Hoc autem intelligendum, nisi præjudicium inferat tertio; nam etiam privilegia in corpore juris inserta ex ea parte, qua alteri præjudi-

A a cant,

cant, striete interpretanda sunt.

Tertio dispensatio striete interpretanda est, si concedatur personis privatis: At si toti Religioni verbi gratia, vel alteri Communitati concedatur, ample interpretanda est, tanquam favorabilis Religioni, etiam si deroget juri communi. Ratio est, quia quando conceditur communitati in perpetuum, æquiparatur legi insertæ in corpore juris, seu constitutioni perpetuæ, & est privilegium potius, quam dispensatio, ut notat Merol. disp. 4. cap. 6. num. 1. ex Suar. Ex quo infert Sanch. lib. 8. disp. 1., dispensationem ab Episcopo concessam beneficiato de percipiendis fructibus in absentia ratione studii esse late interpretandam, quia non conceditur personæ, sed causæ, in qua utilitas publica versatur; Et ideo quamvis privilegium concedatur, verbi gratia, ratione studii Theologici, extenditur etiam ad studium juris Canonici; quia in jure istæ scientiæ æquiparantur; Extenditur etiam ad alia studia, si pro iis militet eadem ratio.

III. Quarto late interpretanda est dispensatio debita, seu quæ debet dari a Principe ob necessitatem occurrentem, quia tunc est favor debitus causæ, & sic dilatandus; Unde dispensationes, quæ fiunt ex necessitate, vel utilitate Ecclesiæ, utpote ex juris debito emanantes, ampliandæ sunt.

IV. Quinto Henr., Navar., Rodriq. apud Merol. num. 13. putant, dispensationem esse striete interpretandam, hoc est non ultra verborum proprietatem, sed se extendere ad omnes casus comprehensos secundum propriam verborum significationem. Communius tamen cum Sal., Sanch. putant debere aliquando etiam strictius sumi; quia in Regul. *Odia, de Reg. juris in 6.* non dicuntur odia non esse amplianda, sed dicuntur odia esse restringenda, favores ampliandi: Qua-

re juxta communiorem opinionem apud Merol. disp. 4. cap. 4. dispensatio ad Ordines non extenditur ad Sacros, quamvis Ordines sacri sint vere ordines. Sic dispensatio ad beneficia comprehendit solum simplicia, & non se extendit ad Curata, & Dignitates, nec ad beneficia electiva, nec ad Canonicatus Ecclesiæ Cathedralis: Sic in odiosis nomine Ecclesiæ Parochialis non venit Ecclesia Parochialis collegiata; quia habet Collegii qualitatem supra Parochiam: Et ex cap. *Licet, De elect. in 6.* nomine Monachorum, vel Monialium non venit Abbas, vel Abbatisa; Et nomine Clericorum non comprehenduntur Religiosi, ut docent communiter; immo nec Sacerdotes, & alii positi in dignitate, ut communius putant; quia isti habent aliam qualitatem, quæ in simplicibus Clericis non reperitur: Sicut enim favores sunt ampliandi, adeo ut verba extendenda sint ultra proprietatem, & significationem naturalem ad civilem, & juridicam, unde nomine filiorum veniunt nepotes, nomine Religiosi veniunt novitii, qui proprie Religiosi non sunt; ita odia sunt restringenda, adeo ut intra naturalem significationem, & proprietatem restringantur verba, quantum commode potest: Quod tunc recte fit, quando a verbis significantur proprie plura, quorum aliqua habeant aliquam qualitatem, unde possint eximi ab odio: Verbi gratia, nomine Clerici ita significantur proprie tam Clerici simplices, quam Religiosi, ut Religiosi nomine illius qualitatis, hoc est Religionis, possint eximi a lege obligante Clericos.

V. Sexto quando dispensatio versatur circa materiam juris communis, debet interpretari juxta explicationem juris communis. Unde dispensatio facta in tertio gradu consanguini-

ta;

tatis extenditur ad secundum cum tertio, quia gradus computantur in jure communi a persona, quæ a stipite est remotior, ex cap. *final.*, De *consanguin.*, ut notat Sanch. loc. cit. num. 9.

Septimo si dispensatio est in statuto, seu consuetudine particulari contraria juri communi, est late interpretanda; quia reducit ad jus commune, quod est favorabile.

Octavo ex Merol., & aliis contra Sanch. probabilius est, præscindendo a Stylo Curia, quod dispensatio in causa matrimoniali late sit interpretanda; Nam dispensatio in quarto gradu consanguinitatis extenditur ad tertium cum quarto, ex Extravag. *Nuper.* Ratio a priori videtur esse, quia dispensatio in causa matrimonii reducit ad jus commune; nam jus commune non prohibet matrimonia in omnibus gradibus, in quibus ea prohibet Ecclesia; quando autem dispensatio reducit ad jus commune, est favorabilis, & extendenda.

VI. Notandum tamen, non esse adeo restringendam dispensationem, ut reddatur illusoria. Unde infertur cum Molin. contra Covar., quod licentia data Episcopis, vel Monachis a Pontifice ad testandum non ardeatur ad solum primum testamentum; quia hoc esset contra testamenti naturam, quod de se est revocabile usque ad mortem.

Nec est dispensatio ita restringenda, ut non extendatur ad necessario connexa, & inseparabilia, ut patet; ne frustranea reddatur dispensatio: Verbi gratia, dispensatus ad plura beneficia censetur etiam dispensatus, ne in utroque residere debeat, & dispensatus cum minori viginti tribus annis, ut habeat beneficium Parochiale, censetur etiam dispensatus ne intra annum ad Sacerdotium promoveatur; cum non possit ante vigesi-

mum quartum completum initiari. Quod si connexa sint separabilia, dispensatio ad unum concessa non se extendit ad alterum: Verbi gratia, dispensatio ad non residendum non se extendit ad fructuum consecutionem, qui ab absentibus perduntur; quia hæc possunt separari.

VII. Infertur ex dictis primo, quid dicendum in quæstione illa, An Subdiaconus dispensatus ad uxorem dispensetur etiam ad recitationem officii? Negat Azor. quia status subdiaconi cum obligatione recitandi horas est quidem connexus, sed separabilis. Sanch. tamen lib. 8. disp. 8. & alii apud Merol. num. 33. affirmant; quia obligatio recitandi horas videtur inseparabilis a statu subdiaconi, quatenus status matrimonii est incompatibilis cum tali obligatione; gravis enim est talis obligatio homini vacanti rei familiari, & uxoria; Et idem dicas, si monachus dispensetur ad nuptias.

Infertur secundo, quid dicendum ad quæstionem illam, An dispensatus ad ova possit comedere lacticia, & econtra? Negant Azor., & Bonac. de præcept. Eccles. disput. 1. punct. 2. apud Merol. num. 72., quia dispensatio hæc est contra jus commune, atque adeo stricti juris, & restringenda. Affirmat tamen Henr., Laym., Regin., Sanch. lib. 8. disp. 1.; quia in jure hæc æquiparantur, & unica, & individua est eorum prohibitio.

VIII. Infertur tertio, quid dicendum ad quæstionem, An in dispensationibus habeat locum argumentum ob identitatem rationis, vel a majori ad minus, itaut in iis fiat extensio de casu ad casum, in quo est eadem, aut major ratio? In quo Doctores diversimode philosophantur apud Merol. num. 64.: quæ tamen facile colligi possunt ex iis, quæ assatim diximus.

A a 2 quæst.

quaest. 5. art. 1. quaestio 4. agentes de Legis interpretatione, inquirendo, Num lex extendatur ad casum non comprehensum verbis legis, sive ob paritatem, sive ob identitatem rationis?

IX. Quod attinet ad potestatem dispensandi, quomodo interpretanda sit? Plura diximus in Opusculo de Conscientia dubia, & scrupulosa quaest. 5. art. 1., quae hic summatim recolimus. Diximus siquidem ex Sanch. lib. 8. disp. 2., & aliis, per se loquendo late interpretandam esse, sive ea sit ordinaria, (quae scilicet alicui competit ex proprio munere, ut competit Episcopis, & aliis Praelatis respectu suorum subditorum) de qua non dubitatur, sive sit delegata; Haec enim censetur esse purum beneficium Principis, quod late interpretandum est, ac extendendum, cum contineat favorem absque ulla admixtione odii, ex Reg. 15. juris in 6. Quamvis autem hujusmodi potestas per se loquendo latam habeat interpretationem, nihilominus stricte interpretanda est, si vergat in praedictum Tertii; quia non praesumitur, quod Princeps velit alteri praedictum inferre. Notandum tamen, ut supra diximus, quod si dispensandi potestas delegetur alicui, verbi gratia Confessario, in gratiam illius, & pro personis indeterminatis, ea habet rationem gratiae tali Confessario collatae, & ideo in dubio latam habet interpretationem: Si vero conferatur in gratiam personae determinatae, cum qua dispensandum est, tunc habet rationem potius dispensationis inchoatae relate ad illam personam, & ideo stricte est interpretanda, ut notat Sua. lib. 6. de Legib. cap. 10., & Sanch. loc. laud.

Ex his descendit resolutio consimilis quaestionis, Num scilicet privilegium stricte, an ample interpretandum sit? Quod pariter fuisse perpen-

dimus in Opusculo laudato, articulo ultimo ejusdem quaestionis, dicendo, quod si privilegium a Principe motu proprio collatum sit, aut sit inclusum in corpore juris, late sit interpretandum; dummodo non cedat in praedictum Tertii, nec deroget juri communi. Hinc Privilegium concessum alicui, verbi gratia de non solvendis decimis, non est intelligendum de non solvendis decimis ex praediis futuris, si tale privilegium praedictum Tertii, seu si decimae solvendae sint alteri a concedente privilegium; secus vero si ipsimet concedenti privilegium essent solvendae; quia in primo casu stricte est interpretandum, utpote praedictum Tertii; secus vero in secundo casu.

X. Dubitatur, Num in dubio an privilegium sit revocatum, licitum sit eo uti? Respondeo affirmative. Ratio est, quia stat illud in possessione, & in dubio melior est conditio possidentis. Notandum tamen, quod si deinde deprehendatur fuisse revera revocatum, invalida sint, quae ex usu talis privilegii revocati provenerunt, ut ostendimus loc. laudato: Ad eum modum, quo potest a domino vendi servus in dubio an ejus servitus cessaverit; At si deprehendatur deinde, quod ea cessaverit, talis venditio censenda est irrita: Quare si habens privilegium, verbi gratia commutandi vota, dubitet an privilegium revocatum sit, nec possit vincere dubium, licite illa commutat; Sed si deinde detegatur privilegium fuisse revocatum, commutatio facta erit nulla.

XI. Dices: Si Episcopus commutet votum in dubio an illud sit Pontifici reservatum, valida erit commutatio, etiamsi deinde advertat, quod votum sit reservatum: Pariter absolutio collata a Confessario in dubio de reservatione casus erit valida, quamvis deinde certificetur, quod casus esset

reservatus; ergo pariter in casu nostro, dubitans an amiserit privilegium commutandi vota, licite, & valide illa commutat, etiamsi deinde advertat privilegium fuisse antecesserit revocatum.

Respondeo, concessio antecedente, negari consequentiam. Disparitas est, quia Episcopus jure suo potest commutare vota, de quibus dubitatur an sint reservata Pontifici, & Confessarius jure suo facultatem habet absolvendi a peccatis, etiamsi dubie sint reservata; propterea in tali dubio utuntur jure proprio, & ideo valida est commutatio, atque absolutio, etiamsi deinde constet de eorum reservatione. Contra vero habens privilegium commutandi vota, non potest illa commutare jure suo, sed solum ratione privilegii; & quando dubitatur, an privilegium expirarit, licite illo utitur, eo quod stet illud in possessione. At si deinde detegatur, quod privilegium tunc expirasset, invalida censenda est illa commutatio, ut ostendimus paritate adducta de servo, cujus venditio est irrita, si tempore venditionis non erat servus; quamvis licite illum Dominus vendiderit, dubitans an e servitute tunc esset exemptus: Quamvis tale dubium exponendum esset emptori, eo quod esset vitium procul dubio detegendum. Ex quibus sequitur, quod si Confessarius non dubitet de reservatione casus, sed dubitet, an jurisdictio sibi ab Episcopo collata expirarit, possit quidem licite absolvere in casu gravis necessitatis, exponendo poenitenti hanc suam dubietatem, ut si forte deinde deprehendatur jurisdictio expirasse, tunc iterum poenitens clavibus ea peccata subjiciat, quippe absoluta citra jurisdictionem in Confessario.

XII. Ex iisdem principiis descendit pariter resolutio illius quaesiti, Num valida censenda sit dispensatio in du-

bio de ejus valore?

Ad quod respondendum, ex triplici capite posse tale dubium oriri, Primo quidem ex parte superioris, si scilicet dubitetur, an sit legitimus Superior, possitque dispensare? Secundo ex parte causae, si dubitetur, an sit sufficiens, & justa causa ad dispensandum? Tertio ex parte ipsius dispensationis, si dubitetur, an comprehendat hunc casum? Quando dubietas est ex parte Superioris, distinguendum; Nam si Superior sit in possessione sui Superioratus, licite, & valide dispensat, eo quod non debeat Superior sua possessione spoliari, donec constet eam amisisse; Quod si sit in possessione sui Superioratus relate ad talem subditum, nequit in dubio cum eo dispensare, eo quod in tali dubio stet in possessione praecipuum. Ita Sanch. lib. 4. disp. 44.

Quod si dubietas oriatur ex secundo capite, videlicet num causa ad dispensandum sit sufficiens? Dicendum cum eodem Sanch., & Suar., quod subditus bona fide proponens Superiori causam, remittendo illius prudenti judicio, ut decernat num sit sufficiens, possit licite uti dispensatione ob eam causam data a Superiore, quamvis subditus dubitet num ea sit sufficiens. Quod si etiam Superior dubitet, distinguendum est; Nam vel dubitat num de facto detur talis causa, & profecto in tali dubio nequit licite dispensare; Vel dubitat num causa proposita certo existens, sit sufficiens ad licite dispensandum? Et in tali dubio docet idem Sanch. lib. 4. disput. 45. cum aliis contra Medin., quod licite dispense; cum id postulet suave regimen Ecclesiae; eo modo quo diximus, posse Episcopum commutare votum in dubio an sit Pontifici reservatum, & posse Confessarium absolvere a peccato, etiamsi dubitet de ejus reservatione.

De-

Denique, si dubium oriatur ex parte ipsius dispensationis, Num scilicet verba dispensationis talem casum comprehendant? Sanch. loc. cit. docet, in hoc dubio dispensationem ad hunc casum non se extendere, eo quod dispensatio tanquam vulnus legis sit odiosa, ac restringenda: Quare si Pontifex dispense cum aliquo in voto castitatis, ut possit nubere, & dubitetur, an dispensarit totaliter in tali voto, dicendum quod non dispensarit totaliter, ac propterea vi talis dispensationis possit solum contrahere matrimonium; sed si contra castitatem peccaret, contra votum, atque adeo sacrilege peccaret. At si solum dubitetur, num sit valida dispensatio, quia dubitatur, num sit expositum verum, aut sit expressum falsum? In tali dubio standum pro valore dispensationis; quia delictum non praesumitur, ex leg. *Merito*, ff. *De Socio*. Denique si in petitione dispensationis sit expositum aliquod falsum, aut non sit expressum aliquod verum, & dubitetur, num hoc spectet ad causam finalem, quae dispensationem vitiat, an vero solum ad causam impulsivam? Con. disput. 33. dub. 6. de Sacram., Gutierrez, & alii apud Sanch. lib. 8. disp. 21. docent, censendum esse, quod illud ad causam finalem spectet, ac proinde dispensationem esse surreptitiam. Ratio est, quia stat in possessione impedimentum, & dubia est dispensatio. Sed Pal., Sal., Bonac., & alii apud Dian. part. 4. tract. 4. resol. 64. probabiliter docent, in tali dubio censendum illud spectare ad causam impulsivam, & dispensationem esse validam; quia in dubio praesumendum est pro valore actus, ex leg. *Quoties*, ff. *De rebus dubiis*. Unde possessio videtur stare pro validitate dispensationis, non pro impedimento, quia, ut ostendit Merol. disp. 3. cap. 3. is possidet, pro quo stat praesumptio pro fo-

ro externo. Quicquid sit an hoc sit verum solum in favorabilibus, & non in odiosis, seu quando derogatur iuri communi, ut in casu nostro; quod fule discutit Con. loc. laud., & Bardi disp. 6. cap. 5. §. 4.

XIII. Postremo ex iisdem pariter praecis fundamentis descendit resolutio quaesiti illius, Num dispensatio censenda sit irrita, si deprehendatur Praelatum non potuisse dispensare? Ad quod dicendum, dispensationem esse procul dubio irritam, si deprehendatur Praelatum non solum non esse superiorem, sed neque errore communi talem reputari; esse vero validam, si errore communi cum titulo colorato ille existimetur Superior; quia ex leg. *Barbarius*, ff. *De officio Prator*. valida sunt gesta ab huiusmodi Superiore, idque propter bonum commune, supplente Ecclesia, vel Republica defectum jurisdictionis requisita; Immo ex Pont., & aliis contra Sanch. apud Dian. part. 3. tract. 4. resol. 122. probabiliter id est verum, etiamsi detur solus error communis sine titulo colorato. Quod si deprehendatur Superiorem non potuisse dispensare ex defectu causae, vel quia tacita fuit vera causa finalis, vel quia expressa fuit causa finalis falsa, pariter dispensatio erit irrita, ut notat Sanch. lib. 4. cap. 44. Si tamen dubitetur, num causa ad dispensandum fuerit sufficiens; sive dubitetur, an verba dispensationis ad talem casum se extendant, valida est dispensatio, si bona fide fuerit data, etiamsi deinde deprehendatur oppositum: Ad eum modum, quo valida est absolutio a reservatis bona fide collata a Confessario dubitante de reservatione illius, etiamsi deprehendatur deinde, quod casus revera esset reservatus, ut supra ostendimus. Et eodem modo multi cum Sanch. lib. 8. disp. 6., Pal. tract. 4. disp. 6. punct. 5., & aliis docent, Episcopum posse di-

dispensare non solum in voto, sed etiam in impedimentis matrimonii, si dubitetur, an dispensatio petenda sit a Pontifice; (puta si dubitetur, an per concubitum carnalem contracta sit affinitas, aut si dubitetur, num consanguinitas sit in quarto, an in quinto gradu) itaut valeat dispensatio, et-

iam si deinde deprehendatur, votum esse Pontifici reservatum, affinitatem esse contractam, & consanguinitatem esse in quarto gradu. Quæ omnia fortius expendimus in laudata quæstione quinta Opusculi secundi de Conscientia dubia. Sit itaque hujus annui pensii (sed oh ubi Eternitatis!)

FINIS.

A. M. D. G.;

ac Deiparæ sine labe Conceptæ.